

DISSERTATIO THEOLOGICO - EXEGETICA  
DE  
CHRISTI SEPVLTVRA  
NON IN IMPROBORVM, SED IN  
DIVITIS SEPVLRCRO FACTA  
AD ES. LIII. v. IX.

QVAM  
PRAESIDE  
VIRO SVMME REVERENDO  
ERNESTO AVGVSTO BERTLINGIO

S. S. THEOLOGIAE DOCTORE EIVSDEMQUE PRO-  
FESSORE IN ACADEMIA IVLIA CAROLINA  
CELEBERRIMO

PATRONO SVO AETERNVM COLEND

D. XXII. MART. ANNI MDCCXXXVIII.

IN IVLEO MAIORI

PUBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBIICIET  
AVCTOR RESPONSVRS  
CHRISTOPHORVS GVILIELMVS KAYSER

BRVNNSVICENSIS

S. S. THEOL. CVLT.

HELMSTADII  
LITTERIS LEVCKARDIANIS.

Coll. diss. A  
148, 39

\$44.148(39)

E 11 2

6

СИГИЗМОНДОВА СТАТЬЯ

30

СИГИЗМОНДОВА СТАТЬЯ  
И СОСТАВЛЕНИЕ ИМ  
АДАМ ОРБИГОНЦА  
ДЛЯ ПРИЧИНА

ПРАВДЕ

ОДНОВЕНИЯМУ СОЛУ

СОИЛЯБОДУЧА ОГЛАДЯ



СИГИЗМОНДОВА СТАТЬЯ

A  
SON ALTESSE SERENISSIME  
MONSIEUR  
**CHARLES**  
DUC REGNANT DE BRONSVIC  
ET DE LUNEBOURG  
MON TRES GRACIEUX PRINCE.

A  
VON ALTESEE SERENGSIME  
MONSIEIGNEUR  
CHARLES DE BRONAS  
DU REGIMENT DE L'INDE  
ET DE L'INDOCHINE

# MONSIEUR,

**R**ien ne fauroit excuser la hardiesse, que  
je prens, d'offrir à VOTRE AL-  
TESSE SERENISSIME, avec la  
plus profonde soumission, ces premiers fruits  
de mes etudes, que cette grace singuliere,

que tout le monde admire, & qui, en particulier, LA fait les delices de tous SES fidels & beureux sujets.

Cest sur cela, MONSEIGNEUR, que se fonde Pesperance, que jai, que VOTRE ALTESSE SERENISSIME daignera gracieusement jettter des regards favorables sur ce petit ouvrage, quelqu' imparfait qu'il soit, comme une marque de mon inviolable devouement.

Et à qui, en vérité, aurois je mieux dû présenter ces premices académiques, qu'à VOTRE ALTESSE SERENISSIME, le souverain du païs, où je suis né, & sous le doux & beureux regne du quel je fais consister ma plus grande felicité de pouvoir vivre & mourir?

Cest,

C'est, MONSEIGNEUR, à quoise bor-  
nent tous mes voeux; & toutes les fois, que  
je pense à cette grande & ravissante bonté,  
que VOTRE ALTESSE SERENISSIME  
fit paroître envers moi, & deux autres de  
mes compatriotes, lorsqu'il nous fut permis,  
il y a un an & demi, pendant le peu de jours,  
qu'ELLE honora la ville de Halle de sa  
presence, de lui presenter nos très hum-  
bles respects; j'ose me flater de la douce espe-  
rance, de jouir d'un si grand bonheur.

Veuillez le Toutpuissant , MON-  
SEIGNEUR, repandre sur VOTRE AL-  
TESSE SERENISSIME, & sur son au-  
GUSTE MAISON, en tous tems si fertile  
en grands Princes, & illustres Heros, ses  
plus precieuses benedictions, & lui ac-  
corder une santé & prosperité parfaite!

Ce

*Ce font, & seront toujours, les sou-  
baits les plus zelés de celui, qui est, avec  
la veneration la plus profonde,*

**MONSEIGNEUR,  
DE VOTRE ALTESSE SERENISSIME**

à Helmstedt  
le 22. Mars  
1749.

le très humble & très obeissant  
serviteur & fidèle sujet

CHRISTOFFLE GUILLAUME KAYSER.



*Ef. LIII. v. 9.*

וַתִּזְנֹ אֶת רְשָׁעֵי־קָבָרָו וְאֶת עֲשֵׂיר בְּמַחְיוֹן עַל לְהָ  
חַמֵּס עֲשֵׂה וְלֹא מְרַתָּה בְּפִיו.

§. I.



uanta humani ingenii perversitas sit, *Ef. LII.*  
si aliunde nesciremus, vel ex sola <sup>13 - 15.</sup> *LIII. 1-12.*  
supina rerum ad æternam hominis felicitatem pertinentium negligencia abunde essemus intellecturi. *vaticini-um est de Christo.*  
Puerorum instar, hujus seculi delectatur crepundiis homo. Quæ vero æternum erant delectatura multa nobiliora bona, ea proh dolor! alto supercilio contemnit. Infelicia, cum sibi ipsi deesse inciperent, primorum nostrorum parentum vestigia infelix premit: dignus, qui cum ipsis pristina eorum exutus sit felicitate. II-

A

lece.

lecebrofus pomi adspectus Evam induxit, ut, divini interdicti infelix primo interpres, mox prævalente cupiditate contemtrix, omnis suæ posteriorumque felicitatis unica ossula faceret jacturam. Reprehensione quidem dignam illam ! Non tamen nostra ; qui illius exemplo cautius mercari, non didicimus. Non jam invehemur in Cainum, qui fraterno mox sanguine impias commaculavit manus. Non in illos, qui antiquum orbem diluvio sua immerserunt improbitate. De solis illis dicemus, qui, de rebus recuperandaque per humani generis fatores imprudenter amissa rectius edocti felicitate, *sanctissimum* hujus *restauratorem cruci impie adfixerunt* ; istoque facinore genti suæ tristissima ad hunc usque diem contraxerunt fata. Pari cum illis passu ambulant nostrum ii, quorum o! utinam nulli vel pauci saltem essent, qui ore quidem optimum servatorem confitentur, corde vero abnegant. Sed non jam de nobis, sed de illis, dicemus. *Commendaverat* jam *Moses* his seriam poenitentiam, & *benedictum mulieris semen* (a), qui collapsa sit restauraturus. *Ex Iude stirpe* eum proditurum vaticinatus fuerat *pius Iacobus*. (b) *Ex Davidis familia* genus dueturum, *Micha*, (c) Vivis coloribus depinxerant *Ezraias* (d) & alii. (e) Quare *codicem sacrum*, ut ex illo, se agnoscere discant,

scrut

(a) Gen. III, 15.

(b) Gen. XLIX, 10.

(c) Micha IV, 8. V, 1-3.

(d) Ezra. LIII, 9.

(e) v. g. Zach. IX, 9-11. XI, 4-14. Pf. XXII.

*scrutari jubet Christus (f). Cujus vero faciem tam sollicite descripserant viri divini, is prorsus tamen peregrinus visus fuit genti anxie eum exspectanti. Non, quod agnoscere ex datis characteribus nequivissent. Fuerunt enim omnino, qui probe adgnoscerent. (g) Ceterorum vero oculis immoderatus idem ille, qui fascinatos primum hominum par corruperat, *rerum terrenarum amor* tam densas affuderat nebulas, ut videntes coecutirent. Regem anhelantes, qui sub Romanorum jugo satis quietam in libertatem vindicaret amiserunt, rege isto rejecto, rempublicam; in hunc diem, nisi multo nobiliora illius beneficia impie respusserint, perduraturam. Imo tanta in hunc diem gentis hujus obstinatio est, ut ad gentem suam obtorto collo trahant, (h) quæ de divino isto rege tam clare prædixit *Ezaias* vates, ut perfectius illum, qui oculis suis præsentem fuerant contemplati, describere nequiverint evangelistæ.*

## §. II.

Quod ut appareat, insignis hujus vaticini, cuius jus aliquam partem illustrandam nobis sumsimus, brevis datum dabimus *Sciagraphiam*. I. Admiranda fatotur *Scia-graphia*. rum Messiae catastrophe pingitur. Cujus ad humilitatem, qui brevi ante obstupuerint, iidem mox maiestatem ejus admirabundi sint veneraturi. LII, 13-15. II. Profopopoeia apostolorum, sapientiam & omnipotenciam

A 2

(f) Ioh. V, 39.

(g) Luc. II, 25-35.

(h) E. g. *Raschi & Abarbanel*, ad Ec. LIII.

*potentiam Dei, qui tristissima Messiae fata præter omnem hominum opinionem in summam converterit majestatem, concelebrantium.* LIII, I. III. *Status, quem vocamus, exinanitionis describitur.* Humilis nativitas; cum miseria & paupertate colluctatio; omnium contemptus; ipsorumque apostolorum, propter concatenatas impetum in eum facientes tribulationes, exigua fides. v. 2. 3. IV. Quæ vero singula illi evenisse, ut hominum per eum expiarentur peccata, intellecturi sint fideles. v. 4-6. V. Quare vexationes ipsamque mortem, pergit propheta, in cruce patientissimus perferet. v. 7. VI. Resurrectione vero ab hostibus triumphans, æternum vivet. v. 8. VII. In hos vero, qui ipsum in crucem egerunt, severissime animadvertis. v. 8. VIII. Ad sepulturam ejus revertitur vates; quam, inter maleficos ipsi destinatam, in virtu divitis monumento sit inventurus. v. 9. IX. Repe-  
tit denique, has Christo eventuras calamitates, ut generis humani tollantur peccata, & ad sanctissimam illius doctrinam conversi, quorum ingens futurus fit numerus, per fidem serventur. v. 10-12.

## §. III.

*Paucum* Est hæc per Esaiam vatem ad vivam picta illis duos optimi servatoris imago. Ex cuius lineamentis illi rōntæ, & coævos de ejus persona non felicius tulisse judicium, in his v. 9. jure meritoque miramur. Sed quid præjudicatæ non de Christi possunt opinions! Quæ tantæ erant, ut, quibus fata sua iterato prædixerat, desperationi proximi es- sent discipuli, cum ex cruce pendentem viderent: Resurrectionem nunciantibus fidem non adhiberent.  
Omni-

Omnium quippe animos *vana fiducia de terreno Messiae regno occoecaverat.* Quam cum ex Esaia certisque divinis scriptoribus haurire non potuerint; per inordinatum rerum humanarum amorem, qui, ut spiritualia & æterna in justo minori ponantur pretio, efficit, eorum animis insinuatam fuisse, facile intelligitur. Sufficiat nobis, *ex Esaia didicisse,* recentioribus multo *rectius de Messia* judicasse *veteres* in Iudaica gente *fideles.* Hos vero deferentes miseri nostrorum quoque temporum appellæ, hoc luce meridiana radians Esaïæ de Messia vaticinium ad suam gentem tam misere detorquent, ut eos ad clarissimam lucem oculos obstinate occludere manibus palpare possis. Persuadere nobis volunt, (i) per suam gentem exoratum & placatum esse Deum, ne propter ceterorum iniquitatem conditum a se mundum devastaret. Apage nugas ! Per gentem ; quæ quidem, quantum in se fuit, horrendis suis eam devastavit facinoribus. Cur, quæso, toties deserta jacuit Palæstina ? Cur hunc in diem jacet ? Ita vero comparatum humanum ingenium est, ut eorum, quæ suo non patrocinantur errori, perversam facile comminiscatur interpretationem. *Nolunt Messiam, qualem promisit Esaias.* Quid igitur illis reliquum est, nisi ut de Messia eum vaticinari negent ? Nobis vero hujus vaticinii non eripient evidentiam. Si ve enim illud legas, sive Iesu Nazareni apud evangelistas, cuius in dubium vocare nequeunt veritatem, historiam : idem te legisse dices ; ibi in com-

A 3

pen-

(i) Ad Es. LIII, 6.

pendio, hic prolixius. In eo nobiscum consentiunt, *rerum prænunciatarum eventum*, optimum earum esse *commentarium*. Ostendant igitur nobis toto in humano genere personam, cum explodenda sint, quæ de gente sua somniant, in quam *singulæ illustris* hujus *vaticinii partes* æque recte sint dictæ; atque in Iesum Nazarenum. Quod cum fieri nequeat, in *præcipuis* hujus *vaticinii*, tanta evidentiæ luce radiantis *momentis* ea unanimitate, si GROTIUM, eosque, qui cum illo faciunt, exceperis, consentiunt *interpretes Christiani omnes*, quibus curæ cordique veritas est; ut, sicuti dissentiant, nulli tamen eorum tantum alter ab altero faciant divortium, ut a salutari ad Messiam per Esaiam ostensa semita aberrent. Licet in nonnullis hæreant viri divini elocutionibus; quarum pondus non omnes æque exhauriunt. In quibus sunt, quæ de *Christi sepultura Esaias* canit. Circa quæ cum recentiorum quoque celebriores a vero aberrare tramite nobis quidem videantur; in illo vero qui incedunt, obstacula tamen sibi nobisque relinquunt: operæ pretium esse duximus, in *criteria inquirere*, quibus & falsitatis arguamus rejiciendas, & ab *omnibus dubiis liberemus interpretationem præferendam*.

## §. IV.

*Diffensus*  
*interpretum de*  
*sepultura Christi.*

De *Messiae sepultura* hunc in modum viri divini verba se habent קברו ואות עשר במתיו אל לא חמס עשה ולא מרמה בפיו: De *Christi sepultura* sermonem hic esse omnes propemodum uno confitentur ore. De singulorum tamen fere prophetæ

phetæ verborum sensu in diversa abeunt. Cujus quidem dissensus præcipua breviter attingemus capita. 1. Cum *propositionis subiectum* non nominet propheta; aliis id α) *Deus* est; aliis β) *gens Iudaica*; aliis γ) *Christus*. Cujus planior explicatio est; is recte supplesse elipsin est censendus. 2. οὐτοις, quæ *forma futuri* est, per α) *Præteritum* alii reddunt; alii β) per *Futurum*. Utrumque suo loco recte fit. Neque multum hoc loco interesse videatur, utro reddas modo; cum de futuris ut de præteritis loqui soleant prophetæ. *Neutrum* tamen *hoc loco satis recte* fieri, saltem ab iis, qui de sepultura inter scelestos verba accipiunt, ex eo certum est, quod inter hos Christus nunquam fuit sepultus. 3. Particula ταῦ α) *accusativi nota* plerisque est. Estque huius frequentius, quam ceterorum casuum. β) *Dativi notam esse*, volunt nonnulli. Esse profecto potest. Sed sollicite distinguendum est inter verba, post quæ *Dativam* significet. Exemplum, ubi post οὐτοις *Dativo* præmittatur, melius desideramus, quam ex Dan. I. 9. dedit NOLDIVS. (k) Significat aliis γ) *apud*, *prope*, *cum*, *inter*. Qui huius particulæ significatus sunt frequentes. 4. οὐτοις α) *gentiles* sunt aliquibus; qui improborum nomine Iudeis venire soleant. Ad Aector. II, 23. provocant: διὰ χειρῶν αὐτῶν προσπήξαντες ἀνείλετε. Et ad Gal. II, 15: Ἡμεῖς φύσει Ἰudeῖοι, καὶ ἐκ ἐξ ἐθνῶν ἀμαρτωλοί. Sed ex V. T. locis æque aperte de gentilibus loquentibus demonstrari id debebat. Non enim ad antiquiora Esaiae tempora inferri potest a recentioribus. Et licet ad sui

(k) Concord. partic. ad partic. ταῦ, pag. 122. edit. Hafn. 1679.

sui ævi Iudæorum imitationem, Novi Foederis Scriptores gentiles nonnunquam ἀνόμοις vel ἀμαρτωλοῖς appellaverint; effectum nondum est, apud Veteris Foederis quoque scriptores eos רָשִׁים nomine venisse. Ipsi Iudæi interpretes inter codicis sacri & Mischnæ phraseologiam distinguunt, & sicubi ex hac illam velint illustrare, id se facere non dissimulant. Sed funto רָשִׁים in Veteri Testamento nonnunquam gentiles. Hoc tamen loco esse valde dubitamus. Quoniam in Christum cruci adfigendum multo atrocior Iudæorum, quam gentilium, impietas fuit. β) *Judæi impii Christi persecutores* aliis sunt. Et hi rectius fortasse; nisi sint, qui multo adhuc rectius. Malunt enim alii γ) *maleficos* sive *sceleratos supplicio e medio tollendos*; quales erant isti latrones, inter quos medius Christus pependit, & quibuscumque sepelendum esse inimici ejus decreverunt. Sunt denique, quibus non concreti *rashcha* (רָשָׁה) *improbi*, sed abstracti δ) *rescha* (רָשָׁה) *improbatis* pluralem formam esse placet. Hæc vero Vitrinæ displicet; (1) quod abstracti pluralis alias non legatur. Quod pro vero dissimilitudine sufficere posset; licet absolute negari nequeat, pluralem nominum formam in usu fuisse eorum, quorum in sacris non legimus. Addimus nos, oppositum concretum עַמְּרִים, *divitis* pugnare quoque pro concreto רָשִׁים, *improbis*. ε) Sunt denique, qui ex רָשִׁים *impiis* *divites* facere volunt. Sed male; quia sine exemplo. 5. עַמְּרִים, plerisque α) *dives* est. Sunt tamen etiam, qui β) *divitem*, concretum, pro *divitiis*, abstracto, positum existiment.

(1) Ad h. l.

ment. Omnia linguarum scriptoribus solenne hoc esse, nemo ignorat. Num hic sit factum ex eo di-judicari debet, uter significatus planiorem verborum det interpretationem. 6. Vocabulum מותיו, de α) justa pæna Iudeorum Christi persecutorum nonnulli interpretantur, β) de Christi morte ceteri. Certum est, calamitates & pænas nomine mavet (מוֹת) non raro venire. (m) Quare de hujus quoque vocabuli significatu, ut ad arbitrum, ad planiorem interpre-tationem provocamus. γ) De plurali quoque hujus nominis forma disputatur. Ea vero, cum alibi quoque legatur; superflua nobis hæ disputationes viden-tur. δ) Sunt vero etiam, qui bamothav (במוֹתיו) monumentum ejus, pro binothav (במוֹת), in morte ejus, legere jubent. Sed tanta nobis punctorum vocalium autoritas est, ut propter interpretationem non meliorem illis adversantem, non rejiciamus bonam, quæ illis servatis prodit. Nisi aperte doceri possit, in punctis vocalibus esse erratum, violentum nobis vi-detur, ea mutare velle. 7. Denique על pro אשר est positum. (n) Reddunt α) alii, eo quod, quia. β) Alii, cum tamen. De posteriori significatu dubitamus, fal-tem exemplum nescimus. Prior vero certus, vulga-rior, & prophetæ scopo accommodatior est. Qui-bus præmissis, celebriorum nonnullorum interpre-tum explicationes daturi, nostrum de illis feremus ju-dicium.

## B

## §. V.

(m) E. g. Exod. X, 17.

(n) Data enim per Noldium ad partic. על significat. 26. quam-vis, p. 706. exempla, &amp; ab eodem in annotationibus num. 1762. p. 1052. dicta, quod efficere debebant, non efficiunt.

## §. V.

Grotii in-  
terpreta-  
tio.

Prætereundus erat GROTIUS; (o) qui illu-  
stre hoc vaticinium pervertere potius, quam explicare,  
voluisse videatur. Confessus enim, sublimius,  
& magis κατὰ λέξην, pro verborum tenore, de Chri-  
sto accipiendum esse; ad Jeremiam tamen vatem de-  
torquet. Is hunc in modum reddit verba, quorum  
jam quærimus lucem: *Et dabit impios pro sepultura  
& divitem pro morte sua.* Ad quæ summa obscurita-  
te laborantia hæc commentatur: „Illum ipsum (Je-  
remiam) etiam interficere voluerant. Ut legimus  
„Jer. XXVI. At Deus ipsius vice viros potentes qui-  
„dem, sed improbos, sacerdotes nempe mortem Jere-  
„miæ machinatos, morti dedit per Chaldæos, 2. Reg.  
„XXIV, 18-21. Nihil illis divitiæ suæ profuerunt,  
„quibus se redimi posse speraverant. Sensum hunc be-  
„ne expresserunt Græci. „Alexandrinæ versioni  
hæc satis bene respondere largimur: quæ tamen de  
Jeremia nihil habet. Cum Ebræis vero Esaiæ si con-  
sonare deberent; statuendum esset, בְּכָרְיוֹ קִבְרֵוֹ pro,  
positum esse; & sepulturam pro morte. Et, ut Grotii  
mens exprimeretur, ita reddi deberent: *Dabit  
impios in sepulturam ejus, & divites in mortem ejus.*  
Id est, illius loco sepelientur & morientur improbi  
& divites ejus inimici. Qua in versione licet conce-  
dere vellemus, per figuram omnibus perfamiliarem  
linguis, pro morte sepulturam, eandemque ante mor-  
tem esse positam; attamen non vidimus, cur *dives* in  
*singulari & improbi* in plurali numero sint positi.

## §. VI.

(o) Vid. Critic. Anglic. ad h. I.

## §. VI.

IMMAN. TREMELLIVS & FRANC. IV-<sup>Junii 5</sup>  
 NIVS justo obscuriore hanc dant versionem: ( Po-<sup>Tremellii.</sup>  
*pulus*) enim exposuit improbis sepulcrum ipsius, & di-  
 viti in mortem suam: eo quod non fecit violentiam;  
 neque est dolus in ore ipsius. Quod *populus* Judaicus  
 id fecerit, rete quidem supplere nobis videntur.  
 Scholia versionem ita explicant, quod Judæi impro-  
 bis Romanis & diviti Pilato Jesum trucidandum tra-  
 diderint, in suam, Judæorum perniciem; a quibus  
 illius a Deo sit reposendum supplicium; idque eam  
 ob causam, quod illius sanctitatem & integritatem  
 ferre nequiverint. *Sepulcrum* & his pro morte posi-  
 tum censetur. Quod ferri poterat. Sed particulam  
*Dativi notam* temere non esse faciendam, monui-  
 mus. (§. 4. num. 3. β). Romanos per *improbos*  
 vix intelligi posse non minus docuimus (§. 4. num.  
 4. α). Et de Pilati divitiis unde constat? Si במוות  
 de Judæorum pœna accipiendum sit; potius במוות  
 dicendum fuisse videatur.

## §. VII.

HACKSPANIO (p) placuit versio: *Et de Hackspa-*  
*dit impios sepulturam ejus, & divitem in mortibus nisi.*  
*ejus. Quam obscuriorem explicat de hostium Christi*  
*pœnis. Deum catervam impiorum deturbaturum in se-*  
*pulcrum, quod innocent paraverant; & Adseffores*  
*Synedrii, divites illos, pro morte ejus subituros judici-*  
*um mortis, & similes pœnas luituros.* Concordant hæc

B 2

cum

(p) Citante Campeg. Vittinga, ad h. l.

cum Grotii interpretatione, (§. 5.) si id solum excipias, quod, quæ ille de Jeremiæ hostibus, hic de Christi dictum putat. Quare, quæ ibi monueramus, hic quoque erunt monenda. Addimus, multos Synedrii Assessores divites non fuisse. Præterea de hostium Christi pœna v. 8. præcedenti jam dixerat.

## §. VIII.

*Nostra  
verborum  
Eſ. LIII,  
8. explica-  
tio.*

Quod ut clarius appareat; paucis huc pertinentia illustrabimus verba. Dixerat vir divinus, verbu eodem ineunte de *statu exaltationis*, quem vocamus, *Christi*; quod, tot tantisque *perfunctus laboribus*, *hostium ereptus manibus*, *in vitam sit reversurus*, *mortem secundo non obiturus*. Ad eandem vero Mefſiæ majestatem *vindicta* quoque pertinet ab *hostibus* suis justissime sumenda. De qua hunc in modum pergit: כִּי נָגֹר מַאֲרַץ חַיִּים מְפַשֵּׁעַ עַמִּי נָגֹר לְמוֹן. Quæ ita redimus: *Quod vero per iniuriam populi mei ex terra viventium excisus est, propterea illi plaga affidentur.* Admirabilis catastrophe! Jesu, crucis morte e medio sublato, salvo, hostes ejus justas sui flagitii pœnas luent. *Judaicam gentem* vates appellat עַמִּי, gentem meam; quæ erat. Et hæc reipublicæ suæ per Romanos excidio dirissimas dedit pœnas. Favet huic interpretationi connexio; favet eventus. Occurritur illa dubio, num pro לְמוֹן poni potuerit. Quod fieri posse & nonnunquam factum esse, Vitrina contendit; Kimchii fretus autoritate & locorum nonnullorum excitatorum. Valeat quidem Kimchii, quantum possit, testimonium. Tantum vero valere nequit Judæorum interpretum autoritas, ut cœco impetu illa abripiamur.

mur. Sæpe enim illi Gordios nodos non solverunt, sed violento ferro secuerunt. Non magis vero Vitringam, ad quæ provocat, loca juvant. Gen. IX, 26. 27: וַיֹּהֵי כְּנָעַן עֲבָר לְטוּ, reddimus: *Eruntque Cananæi servi illis*; Semi & Japheti posteris. Non enim fratribus servire debebat frater; sed illorum seris nepotibus hujus nepotes. Non rectius ad Ef. XLIV, 15. provocat. Illudens ibi idololatriæ vir di-  
vinus, *Inseruit*, inquit, *homini* petita ex sylva ma-  
teria *ad comburendum*. *Sumitque de ea*, ut ad eam  
*calefiat*. *Incendit quoque de ea*, ad quam *coquat pa-*  
*nem*. *Sed ᄀ facit ex ea idolum, quod adoret*. *Con-*  
*vertit eam in simulachrum*. Pergit: וַיִּסְגַּר לְטוּ, ado-  
ratque ea; puta ea, אל, *idolum* & פֶּסֶל, *simulachrum*,  
de quibus modo dixerat. Non solum enim *plura si-*  
*bi parabant idola*; quæ singula divino prosequen-  
tur honore: Verum etiam *duo idolorum nomina* a  
propheta fuerant *nominata*. Par ceterorum a *Vi-*  
*tringa* allatorum locorum est ratio. Qua ratione cum  
expedire nos queamus, rectius nos id facere confidi-  
mus, quam incertum formæ grammaticæ adsingere  
significatum.

### §. IX.

Sed ad Christi revertimur sepulturam. F O. Forerii.

RERIVS (q) Hispanus, primo dubitat, annon cor-  
ruptus per Judæos hic textus sit, ut puncta *bemothav*  
(בְּמֹתָהוּ) pro *bamothav* (בְּמֹתָהוּ) sint substituta; quod  
*bamothav* (בְּמֹתָהוּ) per *monumentum sepulchrale* sit

B 3

red-

(q) Vid. Critic. Aglic. ad h. l.

reddendum. Vel, annon per eos *trajecta sunt verba*, & in voce בְּמֹתָיו *præfixum בּ*, ut rem obscurarent, *adjectum*; hunc in modum restituenda: וַיְתַן אֶת רְשֵׁעִים מִתּוֹ וְאֶת עֲשִׂיר קְבָרָו. *Et dedit cum improbis cruciatus ejus, & cum divite sepulcrum ipius.* Mox vero corruptione textus absolvens Judæos, aliud mysterium non minus celebre quam sepulturæ domini in monumento divitis Josephi, sub his verbis latere suspicatur. Ita nimis verba reddit: *Dedit Deus improbos sepulcrum ejus, & dedit eum divitem per cruciatus suos.* Et hunc in modum uberioris explicat: „*Fecit ut sepulcrum ejus essent improbi*, i. e. *Sepultus est, ut improbi cum illo sepelirentur, & omnis improbitas in barathrum truderetur.* „*Reddiditque Jesum per suos ipsius cruciatus & mortem omnium ditissimum.* De divitiis autem, quas „*consecutus fit, versibus sequentibus plura.* „ Minus obscura versio fuisset futura; si statuisset, præfixum בּ, cuius frequentissima ellipsis est, in voce קְבָרָו desiderari; & reddidisset verba, *Detrusit Deus peccata in sepulcrum ejus.* Si vero per consequentia indicare voluisset propheta, *Jesum per cruciatus suos factum fuisse divitem;* pro, וְאֶת עֲשִׂיר בְּמֹתָיו, scribere debuisset, וְאֶת עֲשִׂיר בְּמֹתָיו. In illa enim improborum & Christi oppositione, particula אֶת abesse vix potest, nisi data opera obscurissime loqui quis velit. Contra ea, si hic sensus esse debeat, nullus prorsus particulæ אֶת usus erit. Accedit, quod ea, quæ his verbis dici putat Forerius, paulo post v. II. dicuntur per prophetam; qui idem saepius incongrue repetere non est censendus. Finito enim, cum Chri-  
sti

sti sepultura, de fatis ipsi obventuris vaticinio ; inquirere in id incipit , quid Deum moverit, ut has Messiae decerneret calamitates ; & prægnantissimas, consilii divini exponit rationes.

## §. X.

Sola perspicuitate Forerium vincit SALOM. Glassi.  
 GLASSIVS (r). Cujus hæc interpretatio est : *Et dedit, vel posuit Christus improbitates in sepulcro suo, & divitias in morte sua.* Hoc sensu : „ Peccata hominum, quæ portaverat in corpore suo super lignum, intulit quasi secum in sepulcrum , ut a facie Dei sint abscondita, & remissa omnibus, qui in Christum credunt. Et mors Christi pretiosissima, instar cœlestis gazophylacii proponitur , in quo omnis divitarum spiritualium sufficientia reposita est & exinde fide vera ac viva defundi potest. „ Recte monet Glassius, pro illo , quem horum verborum concipit , sensu, קברנו positum esse pro בקברו. Et quoniam durum ipse videbatur, dicere prophetam, Jesum improbos intulisse in sepulcrum suum , pro improbitate hominum, quam in id intulerit ; רשות pluralem abstracti rescha (שׁר), improbitatis, esse contendit. Quod nobis parum verosimile videri ; supra (§. 4. num. 4. δ) jam monuimus. Addimus jam , parum juvare Glassium, quod ex רשות abstractum fecit, quamdiu עשר, quod , ex ipsius mente, pro abstracto similiter positum est, concretum manet. Et sic qui-

(r) Gramm. Sacr. Lib. III. Tract. I. Can. II. p. 379. ed. Francof. & Hamb. 1653.

quidem difficultatibus non exiguis hæc quoque premitur explicatio. Contra quam, quæ *Vitrina* jam monuit, nos non repetimus. Largientur saltem omnes, si erui alia possit, quæ, ut minus ingeniosa, ita minus quoque sit coacta; eam huic esse præferendam.

## §. XI.

*Clerici.*

Ad 10. CLERICVM accedimus, justo, ut in multis est, audaciorem. Cujus quidem planissima hæc interpretatio est: *Posuit eum Deus cum fontibus; sed sepulturam ejus, postquam mortuus esset, cum divite, quia nulli injuriam fecerat, nec fraus ulla in ore ejus fuerat.* En! tibi interpretationem iis, quæ apud evangelistas relata legimus, exacte respondentem. *Inter duas enim latrones medius cruci adfixus fuit Christus.* Corpus vero mortui in monumento *viri divitis, Iosephi ab Arimathia,* fuit conditum. At vero, quod maxime desideres, est, eam Ebræis Esaiæ non respondere. Quod cum ipse intelligeret; *intempestiva crisi* textum emendare, an corrumpere? est adgressus. Confitetur, aliquando se esse suspicatum, hunc in modum ebræa verba integritati esse restituenda: *ויתן את רשותך במתיו ואת עשיר בקברו:* *Et dedit eum cum fontibus ejus, ו cum divite in sepulchro ejus.* Si ita; cur non potius: *sed apud divitem sepulcrum ejus?* Sed mox, quod solius transpositi præfixi et minor visa esset mutatio, hunc in modum rescribendum esse statuit: *ויתן את עשיר קברו רשותך וקברו את עשיר במתיו.* Quæ lectio si genuina esset, nihil profecto habituri essemus, quod in Cle-

Clerici desideraremus versione. Non urgebimus, refragari *accentus*; cum vox קְבָרוֹ *Sakephkaton*, maximo in Athnachi ditione distinctivo, sit notata. Sunt, quibus non placet hæc disputatio & nihil aliud exinde effici existimant, quam id, quod qui accentus versui huic adjecit Maforetha, aliter eum, quam Clericus sit interpretatus. Nec hoc loco disputabimus contra eos, qui *notariorum incuria textum ebræum* nonnullis in locis *corruptum esse* contendunt. Acer- rime negantes tamen, *studio* dataque opera *per Iudæos* factum id esse, merito eos notamus. Optimo quoque jure eos damnamus, qui, ubi verba quædam fatis non intelligunt, critico suo statim parati sunt cul- tello. Ah! quam multa bonorum scriptorum ge- nuina loca temeraria hac libidine toto die miserrime lacerantur! Qua cum in exteris profecto peccetur; de sacris quid, quæso, dicemus? *Sine omni neceſſitate Clericum huic loco violentas intulisse manus*, ex eo intelligetur, quod ex verbis, ut jacent, æque planum atque Clerici, neque a Clerici multum discrepantem, eliciemus sensum. Quod superest, monemus, si sua stare posset interpretatio, non male quidem supplevisse Clericum ellipſin, ut propositio- nis subiectum *Deus* fit. Ista vero cum stare neque- at, in eo quoque a vero aberravit.

### §. XII.

Suam quoque hujus commatis explicationem *Lakema-*  
nobis dedit IO. GOTHOFR. LAKEMACHERVS, (s)cheri.

C

no-

(s) In Observ. Philolog. Part. VIII. Observ. V. p. 205 - 224.

nostræ Iuliæ Carolinæ quondam Philologus celeberrimus, quam hoc loco perlustrare operæ pretium esse duximus. Ipsi vox *bmothav* (בְּמֹתָיו) est Pluralis nominis *bamah* (בְּמַה). Quod, ut Græcorum *βωμὸς*, non solum *altare*, verum etiam *locum*, sive a natura, sive arte, *excelsum*, sed & *structuram in altum asurgentem*, speciatim *cippum* vel *monumentum sepulcri* significare contendit. (t) Operose porro ex historia docet, moris fuisse veteribus Ebræis, hominibus nobilioribus excelsa & magnifica erigere monumenta. Contendit, **רִשְׁעָם improbos** & **עַשְׂרֵנִים divitem** prophetæ synonyma esse. (u) Quod ut nobis persuadeat, observat, cum impietate conjunctas ut plurimum divitias esse ; gentem Israeliticam, cum pinguis facta esset, recalcitraffe ; Christum vaticinari, divites in regnum coelorum difficulter ingressuros. Locum tamen parallelum, ubi vocabulum **רִשְׁעָם divitem** significet, affert nullum. Putat igitur, Esaiam, cui solenne sit, eodem in versu commata conjugere synonyma, quorum posterius prioris epexegesis fit, quem modo *improbum* vocaverat, eundem, declarationis causa, appellare *divitem*, ut, cuius fortis *improbum* intelligat, clarius etiam significet. Punctuationis rationem, quod *bamothav* (בְּמֹתָיו) pro *bmothav* (בְּמוֹתָיו) legendum jubeat, interpretationem suam non infringere confidit. Torquet denique eum, quod, si de Iosephi Arimathæensis, quo plerique trahant interpretes, monumento Esaiæ accipien-

(t) Iam OECOLAMPADIVS בְּמֹתָיו per *excelsa* vertit, & per *mausolea* explicat in Comm. ad h.l. Et auctor Bibl. Marburg. infra allegandus per Höben Germ. interpretatus est.

(u) Quod etiam B. LUTHERVS credit Opp. Lat. Ien. Tom. 3. p. 427.

pienda verba sint, *impium* faciat virum, cui *pietatis* testimonium perhibent illius in optimum servatorem amor & evangelista. Id vero se facere negat. Contendit enim, vocem שָׁרֵךְ non tam ad virum hunc singularem pertinere dici debere, quam ad illius divitis conditionem, qui plerique impietatis culpæ haut careant; licet nec pietatis virtutisque cultores eodem in genere omnino desint. Sic igitur remotis obstaculis, hunc Esaiæ verborum agit paraphrasten: „*Voluit Deus sepulcro eum condi tali, quam le solet esse hominum impiorum, eorum scilicet, qui opibus abundant.* *Voluit, inquam, collocari corpus ejus in spelunca, monumento quodam ornata, atque divitis alicujus corpori recipiendo destinata.* „*At vero, quæ nobis non placent, supersunt gravissima.* De vocis *bamah* (בָּמָה) significatibus, quibus plures fortasse addi possent, nihil disputamus. Neque magis de consuetudine veterum Ebræorum magnifica suis extruendi monumenta. Sed de eo, quod Esaiæ synonyma sint שָׁרֵךְ *improbi* & יְשֻׁעַ *dives*, valde dubitamus. Num *cum impietate ut plurimum conjunctæ divitiæ sunt?* Non putamus. Sunt hominum plerique improbi. Sunt vero etiam plerique pauperes; saltem non habebunt, cur de divitarum conquerantur copia. Plures igitur impios invenies egenos, quam divites. Si dixisset, cum *divitiis ut plurimum conjunctam esse improbitatem*; quod contradicemus, non essemus habituri. Sunt enim divitiæ sæpe illis, qui iis destituti boni essent futuri, noxiæ ad peccandum illecebræ. Comprobatumque dederunt, adspirante fortuna, suis moribus Israelitæ, verum id

C 2

ef-

esse : *Luxuriant animi rebus plerumque secundis.* Ad quod tamen divitiæ non præcise requiruntur. Sufficit, si gulæ pabulum non desit, tantumque suppetat, ut Baccho nonnunquam litare possit gulosa turba. Cur divites ad sua castra non facile transituros prædiceret Christus, hæc ratio erat, quod sui confessione amittendi divitias, quas immodice amare solent plerique, periculum essent incursum. Non dicit Christus (v), animos divitum esse pauperum animis detestabiores ; sed pauperes non impediri periculo amittendi bona sua, quo divites, quo minus sibi dent nomen. Locum V. T. desideramus, ubi nomen **עַשְׂרֵה** *divitum* synonymum sit. (§. 4. num. 4. ε.) Esto vero, quod tamen minime credimus, proferri posse, ubi *improbi* dicantur *divites*, exemplum ; ab Esaia tamen hoc loco id fieri debuisse negamus. Virum, cuius tanta in Christum pietas erat, ut suum, quem ipsi discipuli timide dissimularent, palam profitetur illius sepultura amorem, in divitum impiorum genere ponere vir divinus non debebat. Conscribas, quæso, panegyricum in *virum divitem*, eumque pium & probum ; appellas eundem *improbum*, causatus, non ad illius hoc pertinere *personam*, sed *conditionem* : audiasque, quid censores publici sint dicturi. Panegyricum vero, quamvis paucissimis absolutum verbis, in Josephum Arimathæensem conscripsit Esaias. Quod suo loco recte fiat ; idem, si alieno, pessime. Sic igitur pientissimi Josephi nos honori consuluisse confidimus. Non negamus, Esaiae solenne esse, ut eodem in versu eandem rem diversis verbis bis vel & saepius enunciet, inque hoc ipso, in quo

(v) Marc. X.

quo illustrando occupati sumus, capite id aliquoties facere. Ergone vero in hoc quoque versu? Habetne plures, in quibus id non fiat, hoc caput versus? Quid denique de voce *bmothav* (במוთא) scripta, & *bamothav* (במוותא) legenda, sentiamus, supra (§. 4. num. 6. δ.) jam diximus (x).

### §. XIII.

Tutiorem viam ingressus nobis videtur S E B. *Seb. Mun-*  
*MVNSTERVS*; quem quidem rem ipsam acu tetigis-*steri.*  
 se putamus, licet versio latina non satis sit commoda.  
 Quæ hæc est: *Et dedit apud impios sepulcrum ejus,*  
*& apud divitem in mortibus ejus: cum tamen nihil ini-*  
*quum gesserit, nec fuerit dolus in ore ejus.* Quis ve-  
 ro dedit? Particula **לֵעָ**, quæ, *eo quod*, significat,  
 sine exemplo per, *cum tamen*, redditur. (§. 4. num.  
 7. β). In glossa, per *sepulcrum apud impios*, intel-  
 ligit sepulturam in Calvariæ monte, extra civitatem  
 Davidis. Ex quonam vero bonæ fidei scriptore di-  
 dicit, in calvariæ monte semper suppicio datos fu-  
 se maleficos, ibidemque sepultos, vel & illos, qui  
 cum Christo crucifixi fuerant, latrones? Cætera re-  
 ste se habent.

### §. XIV.

Eodem tramite incedit CAMPEG. VITRIN-*Vitrinæ.*  
 GA, sua, quam a LVDOVICO CAPPELLO se acce-

C 3

pisse

(x) De vocalium autoritate quid statuamus, de eo fusius legi potest Excell. ANDR. GEORG. WAEHNERVS, Professor in Academia Georgia Augusta celeberrimus, Fautor & Præceptor noster ad cineres usque colendus in Antiquit. Ebræorum Sect. I. Cap. XXXVI.

pisse confitetur, interpretatione. Versionem hanc dedit: *Et positum est cum impiis sepulcrum ejus; at cum divite fuit in morte sua: eo quod nullam fecerit violentiam, & nullus in ore ejus dolus fuerit.* Ad quam hunc in modum commentatur. „*Cum vide-  
retur sepulcrum habiturus esse sive crucem, sive ei  
subiectum facinorosorum coemeterium ex scopo & in-  
tentione eorum, qui eum affecerunt supplicio crucis:  
curavit Deus, ut dives aliquis in se susciperet cadave-  
ris curam, idque reposuerit in loco mundo: quippe  
passus erat innocuus, nullius unquam criminis reus,  
nullius convictus.* „ Reete interpretatur particu-  
lam את utramque per, *cum.* Non male ית impersona-  
liter. Reete רשות illi sunt latrones, inter quos  
Christus & crucifixus. Reete interpretatur vocem  
במותו de morte Christi. Reete denique invenit ישע,  
*divitem*, in persona Josephi Arimathæensis. Mon-  
emus tantummodo, in supplendis ellipsis non satis  
follicitum fuisse virum celeberrimum; neque magis  
in exprimendo genuino particularum significatu; ne-  
que denique in verbi ית tempore. Nunquam enim  
cum improbis positum fuit Christi sepulcrum. Ex  
quibus factum est, ut versionis verba offendant, quos  
non offendit interpretatio. Ut vero appareat, facili  
negotio ex Vitrinæ versione hanc removeri posse of-  
fendiculam; & prophetæ verba eum accuratissime spi-  
rare sensum, quem eventus comprobavit; pauca ante  
erunt præmonenda, quam tersiorem nostram, ut  
confidimus, demus versionem.

## §. XV.

## §. XV.

Frequentissimæ omnibus in linguis sunt *ellipses*.  
*lipses*, & quo quis ornatius dicit, eo frequentiores.  
 Premimus verba, quæ non pronunciata ipse supple-  
 re potest vel auditor vel lector brevitatis in dicendo  
 non minus quam agendo studiosi. Tantum abest,  
 ut vitio id ponatur, ut pulchras ducamus singularum  
 orationis partium, *nominum*, *verborum*, *particula-  
 rum*, *ellipses*, quin imo si integræ quoque reticean-  
 tur propositiones, audientium vel legentium permit-  
 tendæ meditationi & judicio. Tam amplius hic cam-  
 pus est, ut ad eos, qui illum ingressi sunt, incertum  
 an emensi, remittendi sint nostri lectors. Dignam  
 hanc censemus, in qua summo studio exerceantur  
 cum ceterorum, tum maxime sacrorum scriptorum fu-  
 turi intetpretes, arenam. Multa enim sibi circa el-  
 lipses sumunt multi, quæ non debebant. Contra ea  
 immemores fæpe eorum sunt, quæ omni carent du-  
 bio. Plenam de *ellipsibus* tractationem in iis esse,  
 quæ desiderantur, & propter infinitam utilitatem,  
 quam maxime exoptanda sunt, censemus. Nos pau-  
 ca tantummodo, quæ ad præsentem nostrum faciant  
 scopum, summis digitis attingemus. *Omnem abef-  
 se jubemus in supplendis temeritatem* 1) *Suspectum*  
 nobis est, *quod in antecedentibus vel consequentibus non*  
*appareat*, assumptum *vocabulum*, nisi, quæ expressa  
 sunt, manifeste arguant, id, non aliud, assumi de-  
 bere. *Qua in re justo audacior multorum temeritas*  
*est.* 2) Non mireris reticeri *vocabulum*, *quod in*  
*eadem forma grammatica vel adfuit vel sequitur*; *si*  
*vero ea, quæ in diversa*, id te merito mirari credas.

Mi-

Mirari autem desines, si modo a nobis scripta vitiose scripta non esse largiaris. At ex Latina de Ebræa lingua judicium non est ferendum. Suus enim cuique linguæ genius est; ut, quæ ornata in hac sunt, barbara sæpe sint in illa. Ita profecto est. At vero in multis quoque tam amice conspirant, ut major fratribus nequeat esse consensio. Sedulus fontium sacrorum scrutator facili negotio sexcenta inveniet codicis ebræi loca, in quibus *idem vocabulum in diversa forma grammatica sit repetendum*. Ne vero suspicitionem incurramus, in unici defectu ad sexcenta nos loca provocare; en! tibi duo ex uno Psalmo (y).

**ברבר יהוה שמי נעשׂו וברוח פיו כל צבא**

*Ad Dei dictum facti sunt cæli, ו ad spiritum oris ejus omnis eorum exercitus: Verbum plurale, נעשׂו facti sunt, in singulari forma, נעשה factus est, in posteriori propositione esse repetendum, quilibet videt. At nomen collectivum צבא, exercitus, est; quæ cum verbo plurali non raro construuntur. Alium igitur ex eadem sacra oda locum habeto, contra quem id excipere nequeas.* **עצרת יהוה לעולמָה**  
**תעטָר מחהשׁוֹת לכו לְרַר וּדְרַר** *Dei consilium in perpetuum durat; mentis ejus cogitata a generatione ad generationem. Et hæc quidem de ellipsi sufficere possent.*

## §. XVI.

*Ellipsis  
subjecti*

Sed idem paululum continuandum erit filum.  
Nulli propemodum tam familiare est, ut *propositionis sub-*

(y) Ps. XXXIII, 6. II.

*Subiectum reticeatur, quam linguae Ebrææ. Isaapropositio-*  
*cum & Esavum filium differentes audiamus: nis. Unde*  
*וַיֹּקְרָא אֶלְעֶזֶר בֶּן הַנְּדִיר וַיֹּאמֶר אֶלְיוֹן בְּנֵי וַיֹּאמֶר אֶלְיוֹן*  
*הַנְּנִי וַיֹּאמֶר הַנְּרֵחַ נָא זָקְנֵת לְתֵת וְדָעַת יּוֹם מֹתֵי:*  
*Tum accersivit (Isaacus) Esavum filium suum natu tertia sin-*  
*majorem, dixitque illi: mi fili! Dixitque (Esavus) gularis.*  
*illi; Ecce! adsum. Tum dixit (Isaacus:) Ecce!*  
*confenui, וְנִשְׁכַּח, quo die sim moriturus. Talia fa-*  
*cilia sint. Sunt vero etiam loca, in quibus ambi-*  
*guus hæreas, quis sit supplendus nominativus. Ut*  
*in isto (z): וַיְתַן לוּ מַעַשֵּׂר מִכָּל, Deditque (Abra-*  
*hamus) illi (Melchisedeco) decimas de omnibus. Ni-*  
*si Paulum (a) interpretem haberemus; dubios nos*  
*relieturus esset Moses, dederitne decimas Melchise-*  
*deco Abrahamus, an huic ille. Tu si dices, Abra-*  
*hamum Melchisedeco dedisse; ego dicturus essem,*  
*Melchisedecum Abrahamo. Et fortasse rationes in-*  
*venturus essem, quibus probabiliorem meam face-*  
*rem sententiam, quam tu tuam. Sed hanc litem di-*  
*rimit Paulus. Qualia plura sunt, in quibus tam fide*  
*dignum interpretem non habemus. Sunt, in qui-*  
*bis ex longe præcedentibus repetendus sit nominati-*  
*vus. Ut in isto (b). בְּיוֹם הַשְׁבָת יְרֻכְנוּ Singulis sabbathi diebus disponet illum*  
*(panem propositionis) coram Deo perpetuo. Quis*  
*vero disponet? Evolve ejusdem capit. v. 3. & fa-*  
*cile intelligis, eumdem id facere debere, cuius erat,*  
lam-

D

(z) Gen. XIV, 20.

(a) Ebr. VII, 2.

(b) Lev. XXIV, 8.

lampades in lychnucho sacro accendere & disponere; puta, Aharonem. Ponitur vero Aharon, sacerdotum tum primus, pro fæcerebus. Non enim pontificis maximi præcise erat, has peragere functiones. Non defunt, qui *tertiam singularis* in talibus *impersonaliter positam* contendant. Non valde refragamur; cum istum personæ hujus significatum nonnunquam esse mox simus dicturi. Quotiescunque vero nominativum invenire possumus, si vel ex longe præcedentibus ille sit arcessendus, id præferendum censemus. *Impersonalis* enim *hujus personæ significatus ellipsi nominativi originem omnino debet.* Quo sensu Latini suo, *quis*, utuntur, puta impersonali, ut Germanorum *man* æquipolleat; ut, *si quis dicat*, molte *man* sagen: idem vocabuli *isch* (אִישׁ) apud Ebræos est. Cum plurima sint, unum sufficiet exemplum (c): *לפניכם בישראל כה אמר האיש בלבתו לדורות אלhim לכו ונלכה עד הראה כי לנבי היי יקרא לפניכם הראה*: *Si quis quondam Israelitarum oraculum divinum petere vellet, dicebat: age! eamus ad prævidentem* (רָאֵה, roëh). *Nam qui vates* (נִבְיא nabhi) *hodie, is quondam prævidens* (רָאֵה, roëh) *appellabatur.* Germani dicturi essent: *Wenn man vor diesem bey den Israeliten Gott um Rath fragen wolte, so sagte man cet.* (\*)

Quo

(c) i Sam. IX, 9.

(\*) Observamus moris fuisse scriptoribus sacris, si quid narrarent, ad quod suspensos hæsuros præviderent lectores, per parenthesin inferere pauca, quo rem declararent. Quod e. g. i Sam. XXIII, 6. est factum. Quoniam enim v. 9. seqq. erat narraturus scriptor fæcer, Davidem jussisse  
Abia-

Quo generali in significatu Ebraeos id saepe reticuisse,  
non est cur miremur. Sic Haggæus dicit: (d)  
מִהוּתָם בָּא אֶל עַרְמָת עֲשָׂרִים וְהַיְתָה עַשְׂרָה בָּא אֶל  
הַיקְבָּל חַשְׁפָּנְכָּה כְּמַשְׁיָה פּוֹרָה וְהַיְתָה עֲשָׂרִים:  
(אָם) בָּא (אִישׁ) אֶל עַרְמָת עֲשָׂרִים Plena ora-  
tio futura erat: (אָם) בָּא (אִישׁ) אֶל הַיקְבָּל et: (וְאָם) בָּא (אִישׁ) אֶל הַיקְבָּל Ex quo (in Palæsti-  
na reduces exiles) fuerunt; (si quis) accederet ad  
acervum (frumenti, ex quo se) viginti (mensuras

D 2

re-

Abiatharem, opomidem pontificalem afferre, præmonen-  
dum duxit, Abiatharem, ad Davidem fuga se recipien-  
tem, eum secum apportasse. Talis hoc in versu paren-  
thesis coimparet. Quoniam enim libri Samuelis scriptor  
ipsissima Saulis, de Samuelis commorationis loco sciscitan-  
tis, verba erat expositurus, adeoque vocabulo *præviden-  
tis* (רָאֵה, roëh) usurpus; (I. Sam. IX, II. 18. 19.) hujus rei  
rationem ante exponere visum fuit. Noli ex his conclu-  
dere, Saulis ætate viros divinos nondum appellatos fuisse  
*vates* (נְבִיאוֹת, *nabhiim*;) de antiquiori enim hujus vo-  
cabuli usu libri Mosis jam testantur. Quippe vocabulum  
**נְבִיא** jam in pentateucho aliquoties legitur. E. g. Gen. XX,  
7. Deut. XIII, 2. cet. Neque vero solo vocabulo *prævi-  
dentis* (רָאֵה, roëh) eos Saulis ætatis venisse, ex eo cla-  
rum est, quod in colloquio Saulis cum servo Samuel *vir  
Dei* (אִישׁ אֱלֹהִים, *isch*, *lohim*) aliquoties salutatur.  
(I. Sam. IX, 6. 7. 8. 10.) Neque magis ex parenthesi hac  
intelligitur, tempore scriptoris sacri nostri *prævidentis*  
(רָאֵה, roëh) nomen penitus exolevisse. Sed id tantum  
modo dicitur, quem sua ætate, frequentius *vatem* (נְבִיא,  
*nabhi*) hunc Saulis ætate frequentius *prævidentem* (רָאֵה,  
roëh) salutasse vulgus. Ut enim multa, sic loquendi  
quoque consuetudinem, immutant secula. Ex quo intel-  
ligas sic satis diu post Saulis ætatem scriptos esse libros Sa-  
muelis; non obstante, quod in rubro Samuelis nomen  
coimpreat.

(d) Hagg. II, 16.

reportaturum speraverat non nisi) *decem reportavit.*  
 (Et si quis) accederet ad turcular, (ex quo se) quin-  
 quaginta mensuras hausturum (confiderat, non nisi)  
 viginti hausit. In hoc Chaggæi & similibus locis nomen  
*isch* (אִישׁ) supplendum esse, facile intelligitur. Sunt  
 vero, in quibus id non æque commode fieri videri  
 posset. Ut in isto de Babelis ortu: (e) **עַל כִּן קָרָא** : *Propterea appellarunt nomen ejus Baby-  
 lonem.* In isto de Hagaris fonte: (f) **עַל כִּן קָרָא** : *לְבָאָר בָּאָר לְחֵי רָאִי  
 וַיֹּאמֶר אֱלֹהִים* *fontem vivi respicientis me.* In isto: (g) **שְׁמוֹאֵל וְרוֹדֵךְ וַיֹּאמֶר הָנָה בְּנָיוֹת בְּרַמָּה** (Saul,) *ubinam esset Samuel* וְDavid. *Responde-  
 runtque illi, in Naioth Ramæ.* In isto Esaiæ: (h) **וַיֹּקְרָא שְׁמוֹ פְּלָא**. *Appellabunt nomen ejus admirandum.*  
 Evidem non videmus, cur in his quoque nominati-  
 vum *isch* (אִישׁ), isto, quem diximus, significatu,  
 desiderari negari possit. *Quod si quis tamen aliter  
 sentiat; nihilominus contendimus, ad imitationem  
 locorum, in quibus *isch* (אִישׁ) recte vel ponitur  
 vel suppletur, hæc & similia impersonaliter enuncia-  
 ri.* In omnibus enim linguis loquendi formulas ob-  
 servamus, quarum usum latius extendisse videantur  
 recentiores, qui angustior apud antiquiores fuerat.  
 Ut ut vero hæc sese habeant; demonstrandum dedi-  
 mus, *impersonali significatu tertiam singularis apud E-  
 bræos*

(e) Gen. XI, 9.

(f) Gen. XVI, 14.

(g) 1 Sam. XIX, 22.

(h) Es. IX, 5.

bræos gaudere. Quem tamen non agnoscimus, ubi nominativum, certum aliquod subjectum definientem adeoque impersonalem significatum non gignentem, supplendum esse res ipsa doceat.

### §. XVII.

Ex Iudæa in Peræam exspatiari lubet. Chri- Mosis Se-  
sti enim de sepultura cum agamus; Mosis quoque *pultura*.  
monumentum ponere, quid vetat? Vulgo creditur,  
ipsum Deum Mosis id præstissime officii, ut eum sepe-  
liret. Quod quidem tam crasse viros bonos non in-  
telligere, facile largimur. Sufficit, statui, sine hu-  
mana eum sepultum esse opera. Quæ præjudicata o-  
pinio tantum potuit, ut CLERICVM quoque abri-  
peret, in paraphrasi sua scribentem: „Hoc autem  
„in loco animam efflavit propheta, prout ei prædixe-  
„rat Deus. Qui, sine hominum opera, eum in val-  
„le, e regione Beth Pheoris, sepeliendum curavit. „  
Rationem se invenisse existimant, ne ad Mosis sepul-  
crum Israëlitæ adoratum irent. Quæ quidem levissi-  
ma nobis videtur. Iosua enim vivo, ut a præsenti-  
bus id fieret, non erat timendum. Ne a posteris fie-  
ret, ea re prospici poterat, ut ne monumentum illi  
poneretur sepulcrale, quod illis sepulturæ locum  
proderet. Relatum legimus: (i) וַיָּקְרֹב אֶתְוּ בְנֵי D 3 kus;  
בָּאָרֶץ מוֹאָב מִזְמָרְתָה מִזְמָרְתָה בֵּית פָּעוֹר  
sepelivitque eum in valle in terra Moabitica, e regione Beth Pheoris. Quis vero id fecit? Deum fecisse contendunt. Nos, populum Israëliticum. Supple, עַם יִשְׂרָאֵל, populus Israeliticus;

(i) Deut. XXXIV, 6.

*cus; & facta res erit. At de Israëlitica gente in præcedentibus sermo non est; sed de Deo:* (k) **וַיֹּכְרֵב שָׁמֶן מֹשֶׁה עַבְרֵי יְהוָה בָּאָרֶץ מוֹאָב עַל פִּי יְהוָה:** *Mortuusque ibi est Moses, servus Dei, in terra Moabitica, ad mandatum divinum.* Opponimus illud ex Abrahami & Melchisedeci historia; (l) ubi in præcedentibus de Melchisedeco, & in casu quidem recto, sermo fuerat. Nihiloque tamen minus verba, **וַיִּתְן לוּ מָעֵשֶׂר מִכָּל**, *deditque ei decimas de omnibus*, de Abrahamo accipienda esse, extra omnem dubitatis positum tesseram est. (§. XVI.) Quodsi tamen durius tibi videatur, *populum Israeliticum*, cuius in præcedentibus nulla prorsus facta erat mentio, supplere, *impersonaliter* reddito: *Sepeliveruntque illum in valle in terra Moabitica*, cetera. *Man begrub ihn in dem Thal in der Moabiter Lande.* Non jam disputatur de eo, quid fieri potuerit, sed quid factum esse vero sit similius. Ambabus largimur, Deum, si voluisset, efficere potuisse, ut sine humana opera Mosis cadaver, terræ visceribus commendaretur. Cum vero præter necessitatem, miracula Deus non faciat; multo est verosimilius, gentem Israëliticam, cuius id erat, pii ducis sui curasse funus. Aliquam, neque tamen magnam, contraria opinio habitura esset speciem, si in monte, ex quo Palæstinam lustraverat, mortuus & sepultus esset Moses. Sed disertis dicitur verbis: **וַיִּקְבַּר אֲתֹוי בְּנֵי**, *sepeliverunt eum in valle.* Hæc vero illa ipsa erat planities, per quam I.

(k) Deut. XXXIV, 5.

(l) Gen. XIV, 20.

Israelitarum castra extendebantur. Ne quid tamen dissimulemus, sequentia nobis obstare videntur verba: **וְלֹא יַرְא אִישׁ אֶת קְבُורָתוֹ עַד הַיּוֹם הַזֶּה**, *Nemo vero ad hunc usque diem sepulcrum ejus novit.* Si nulli unquam hominum Mosis sepulcrum innotuit; ergo profecto sine hominum opera sepulcro fuit illatus. At vero solutu facillimum hoc dubium erit illi, cuius oculos *tertia persona singularis*, **וַיּוּ�כְר**, non fascinavit. Non negat scriptor sacer, ulli hominum unquam cognitum fuisse locum sepulcri Mosis. Sed suo tempore eum homines ignorare dicit. *Ad nostra, inquit, tempora illa notitia non pervenit.* Cujus rei ratio esse videtur, quod monumentum sepulcrale illi non erexerant coevi.

### §. XVIII.

Supereft unum, ut in *formas Verborum*, qui *Tempora* bus *Modi* & *Tempora* distinguuntur, inquiramus. *Modi* Harum non in omnibus linguis eadem ratio est. *O-*<sup>Verbo-</sup>*ptativo modo*, Latinam linguam superare Græcam, <sup>rum</sup>*Ebr*<sub>orum</sub>. omnes norunt. Licet nec ignoretur, *Conjunctivo* & *Optativo promiscue* non raro uti Græcos; quemadmodum apud Latinos idem *Conjunctivus Optativi* quoque vicem sustinet. *Ebræi* vero *iisdem formis Indicativum*, *Conjunctivum*, & *Optativum exprimere* coguntur, quoniam diversis destituuntur. Licet enim diversas formas non habeant; non tamen illis sermo eorum caret ideis, quæ per diversas formas ceteris in linguis consignificantur. Formarum defetui apta modulatione suppetias tulerunt. Quare multo perfectius prophetarum oracula, & carminice scri-

scripta, (in his enim maxima difficultas est) intellegenti fuisset, si ea viros divinos recitantes audivissemus, quam nunc, cum legamus. Felicem interpretem, cui id tempestive succurrat. Sed de Modis verbosiores non erimus, cum neminem habeamus contradicentem. De Temporibus non æque omnes consentiunt. Quinque pleræque linguae habent *Tempora*; *plura* Græci, Galli, ceteri. *Periphrasticas formas* si addamus, in plerisque linguis multa plura prodibunt. At vero *lingua Ebræa* præter formas *Præteriti* & *Futuri* nullas agnoscit. Tribuuntque *prefixo* 1, quod ab hoc officio *conversivum*, appellant, istam virtutem Grammatici, quod *formis Præteriti significatum Futuri*, & *Futuri contribuat significatum Præteriti*. Sed vehementer errant. Quod si enim ista *prefixi* 1 virtus est, ut temporum horum significatum invertat; inverti nunquam debet, nisi illo præfente. At vero infinita allegari possent exempla in contrarium. Unicum nobis in præfenti sufficiat exemplum, & quidem ex libro historico, ne diversam scriptorum propheticorum rationem esse objiciatur; ubi *Futuri forma sine 1 conversivo Præteriti significatu* certissime gaudet. Cum in expellendis Cananæis gentibus justo segniores sese præberent Israëlitæ, legatus divinus Gilgale ad locum, cui ab Israelitarum fletu nomen Bochim deinceps impositum fuit, accedens, eos Dei nomine hunc in modum est alloquutus: (m) אלה אתך מצריך ואביה אל הארץ אשר נשבעתי וגו: *Eduxi vos ex Aegypto,*

(m) Jud. II, 1.

gypto, וְ deduxi vos in terram, quam jurato promise-  
ram, cet. Futurum אלהּ præfixo וְ destituitur,  
quod Futurum ואבָא habet. Et tamen utrumque  
per Præteritum est reddendum. Quare nobis Præ-  
teritum ita dicitur, quia de tempore præterito ut pluri-  
mum usurpatur, & Futurum, quia ut plurimum de  
Futuro. Cætera parum curamus, utrum וְ adsit an  
absit; sed ex connexione & scopo dicentis dijudicamus,  
quando utræque hæ formæ vel per Præsens vel Imper-  
fectum, vel Perfectum, vel Plusquamperfectum, vel  
Futurum, per formas vel simplices, vel periphrasticas,  
*Indicativi, Conjunctioni, Optativi,* sint reddendæ.  
Quodsi ab omnibus fieret, uti fieri debebat, ex in-  
tricatissimis sæpe tricis se felicissime essent extricaturi.  
De periphrasticis formis, quoniam id ad loci nostri de  
Christi sepultura illustrationem non parum conferet,  
unum adhuc subjiciemus locum. Cum Nathan va-  
tes Davidem, propter commissa in Uriam scelera, re-  
prehenderet, Dei nomine summa illi a summo nu-  
mine accepta exprobrat beneficia, & dein pergit (n),  
וְאַתָּה מֵעַת וְאַסְפָּרֶת לְךָ כָּהֵן וְכָהֵן: Quodsi pa-  
rum (tibi visum fuisset;) additurus tibi fuissim multo  
plura. Non dicit, se addidisse. Neque magis dicit,  
se adhuc additum esse, ut per addam reddi pos-  
sit. Sed, se additum fuisse, dicit. Germanice:  
Ich wolte es gethan haben. Ut adeo נְסָפָנָה per for-  
mam periphrastica necessario sit reddendum. De eo  
vero contradicentes fortasse non habebimus. Sed

E

eorum;

(n) 2 Sam. XII, 8.

eorum, quæ diximus, tempestive memores esse oportebat.

## §. XIX.

*Versio nostra vaticinii de Christi sepultura.* Quibus ita præmissis; hunc in modum jam plene eloquimur, quæ ex parte reticuerat Esaias: וַיֹּתֶן (עֲמֵד) אֶת רְשִׁיעַת קָבָרוֹ וְאֶת עִשָּׂר (נְתַן קָבָרוֹ) בְּמִתְּחוֹן עַל (אָשָׁר) לֵאמֹר הַמָּס עָשָׂה וְלֹא מְרַמֵּה בְּפִיו:

Quæ ita latine sonat: *Contributurus illi quoque erat populus meus sepulcrum suum apud improbos.* Attamen contributum est illi sepulcrum apud divitem, postquam animam afflaverat. *Quoniam iniquitatem non commiserat, neque dolum ore suo.* Quo vero clarius pateat, nullam nos verbis vim facere; utque singula, quæ in verbis latent, felicius eruamus momenta: singula versus commata separatim adhuc paulo prolixius prosequemur.

## §. XX.

*Comma primum.*

Primum comma hoc est: וַיֹּתֶן (עֲמֵד) אֶת רְשִׁיעַת קָבָרוֹ, *contributurus quoque illi erat populus meus sepulcrum suum apud improbos.* Verbum יְתַן per *Futurum periphrasticum* recte reddimus; (§. XVIII.) quoniam apud improbos Christus sepultus non fuit. Sed defuneti corpus, cruce detractum, ad suum statim monumentum deferri curavit Iosephus Arimatæensis. *Impersonaliter* reddere poteramus *tertiam singularis* (§. XVI.) id quod Vitringæ placet. Sed inferimus עֲמֵד, *populus meus.* Quoniam

am enim impersonalis tertiae personæ significatus ex nihil certi definiens nominis *isch*, (אִישׁ) *aliquis* ellipsi supplenda originem trahit; ad eum configendum non est, si nomen in promptu sit, quod certum aliquod propositionis subiectum suppeditet, ut vago & indeterminato contentos esse opus non sit. (§. XVI.) Modo vero dixerat vates divinus, debitas improbitatis suæ pœnas luituram *gentem suam*, quod innocentissimum servatorem supplicio e medio impie sustulerit. Quidnam igitur aliud commodius cogitari potest propositionis subiectum, quam *eadem hæc impia gens*, quæ inter scelestos quoque sepulcrum ipsi destinaverit? Accedit Judæorum consuetudo; a quibus separata supplicio affectis parata erant sepulcreta (o). De *Deo* vel ipso *Christo* pessime cogitaturi hic essemus. Deus enim & Christus quod decernunt, id fit. Sed hoc non est factum. Particulam נָא significare *cum*, *apud*, *juxta*, quis nescit? Per רְשִׁיעָה, *improbos*, intelligimus *scelestos* sive *maleficos*, violenta morte propter delicta occisos. Quales erant duo illi *latrones*, inter quos medius crucifixus fuerat Christus. Apud eosdem sepulcrum quoque ipsi destinaverant.

## §. XXI.

Sed egregie spes eos fecerit. Quod futu-*Commis-*  
rum subjungit Esaias: וְאַתָּה עֹשֵׂר (נָתַן קָבֵרוֹ) בְּמַתִּיו, *secundum*.  
Sed *apud divitem* contributum est ipsi sepulcrum,

E 2

*post-*

(o) Sanhedr. fol. 46, 1.

*postquam animam efflaverat.* Præfixum significatu, sed, gaudere, notum est (p). Illum יְשֻׁעָה divitem, cuius mentionem Esaias facit, *Josephum Arimathæensem esse*, evangelistæ nos edocent. Qui id, quod *dives* fuerit, ea quoque de causa monuisse, videantur (q), ut intelligeremus, de eo Esaiam jam fuisse vaticinatum. *Ellipsi* hanc laborare propositionem, quilibet videt. *Repetitione* vocum *in proxime præcedenti obviarum*, quæ omnium tutissima est, eam supplevimus. Quod vero Verbum *in diversa forma grammatica* repetatur, offendere neminem debere, supra (§. XV.) jam monuimus. *Diversam* autem illius *formam* *requiri*, *eventus docuit*, quod non iidem, qui apud scelestos sepulturam Christo decreverant, illi eam apud divitem dein dederunt. Illud acerrimi Christi inimici fecerant; hoc amicissimus, Pilato consentiente, Josephus Arimathæensis. Denique neque *temporis circumstantiam*, quando honesta illa Christo decernenda sepultura sit, silentio præterit vir divinus. בַּמְתִיעֵן post obitum ejus. Cum enim Christus vita jam excessisset; Josephus demum corpus ejus a Pilato petiit & impetravit.

## §. XXII.

*Comma tertium.* *Quare Pilatus movendus sit, ut defuncti corpus petenti ne deneget;* subjungit: יְשֻׁעָה

(p) Vid. Noldii Concord. partic. in 1.

(q) Matth. XXVII, 57.

תְּשַׁעַט עֲלֵיכֶם לֹא אָשֵׁר לְעֵבֶר, *Eo quod iniquitatem nullam fecerat.* Explicari hoc potest, & solum, quod Deus permettere non potuerit, ut innocentissimus & sanctissimus inter scelestorum qui esceret cadavera. Sed nos nullam videmus rationem, qui permettere poterat, ut inter latrones crucifigeretur, cur is, ut inter eosdem sepeliretur, permettere nequiverit; licet, deum id noluisse, docuerit eventus. Contra ea verbis hisce maxima inest emphasis, si ad Pilatum oculos habeamus intentos. *Injustus ille judex*, inquit, qui Jesum in inimicorum gratiam morti quidem dabit, *illius tamen agnoscat innocentiam*; quæ illum movebit, *ut honestam ei non sit invisurus sepulturam*. Perduellionis per Judæos apud Pilatum accusatus fuerat Christus. Hujus si reus fuisset; defuncti corpus Josepho ad honestam sepulturam permettere nec potuisset, nec debuissest Pilatus. Hoc vero dum fecit, tacitum innocentiae ejus egit advocationem; nisi forte verbis quoque, ut jam ante supplicium fecerat, illi de novo parentavit: non enim omnes circumstantias apud evangelistas legimus relatas. Hoc eum facturum, prædictus vir divinus, ut nos quidem censemus. Sed Vitrina quoque id jam vidit.

### §. XXIII.

Sed neque Josephum Arimatæensem hac in *Comma* re temerarii quid facturum, addit propheta. *quartum.*  
*Aliud* adhuc *crimen* Christo per inimicos fuerat ob-

E 3

je-

jeatum, *doctrina falsa & impura*, qua populum seducens, Messiam se & prophetam, qui non sit, illis se obtrudere fuerit conatus. Quod per leges Mosaicas supplicio erat vindicandum. Hujus si *reus* fuisset; *honesta sepultura eum honorare non ausurus* fuisset *Josephus*. Summi enim Synedrii confessorem quid magis dedecuisset, quam curare funus viri, qui per ipsas Mosaicas leges ad supplicium dandus fuisset? Ipse quoque Christi amor, nisi innocentem eum agnovisset, ab hoc eum deterrere debuisset officio. Credunt enim *Judæi, maleficorum supplicium, negatumque illis honorem funebrem*, illis in rebus esse, per quas eorum *expientur delicta* (r). Josephus igitur, ad honestam sepulturam Christi corpus petens, non solum apud Pilatum, verum etiam apud totam Judaicam gentem, disertissimum & innocentiae ejus & accusatorum virulentæ injustitiae se præbuit præconem. O! quantam viri pietatem! Minime merentis, ut propter justas suas divitias in **רְשִׁיעָה**, *improborum*, genere a propheta ponatur. Pertinent huc illa Esaiæ: **וְלَا מַרְמֵה בְּפִי**, *Et quoniam falsa doctrina populum non deceperat.* Significat equidem **מַרְמֵה** quemlibet dolum, quamlibet fraudulentiam. De illa autem fraude, quæ innocentissimo servatori vitio data fuerat, loqui vatem, quilibet facile videt. Habemusque *Vitrin-gam* hac quoque de re consentientem.

## §. XXIV.

(r) Sanhedr. fol. 46. 47.

## §. XXIV.


Antequam colophonem nostro addamus la-<sup>Consensus</sup>  
bori, silentio præterire non possumus, non deesse<sup>nonnullo-</sup>  
interpretes, quibus modo suppeditata a nobis arri-<sup>rumin-</sup>  
sit interpretatio. Id quod quoque L' ABBADIE te-<sup>terpretum</sup>  
statur in egregio *de veritate religionis Christianæ O-*<sup>cum no-</sup>  
*stra ver-*  
pere. Versionem hujus versus p. 478. edit. Ger-<sup>sione.</sup>  
man. hanc adfert: *Und er ist begraben wie die  
Gottlosen und gestorben wie ein Reicher, oder, wie  
es ANDERE geben, man hat sein Grab bestellet bey  
den Gottlosen, er hat sich aber in seinem Tode bey  
dem Reichen gefunden.* Invenimus etiam, cum  
hæc omnia a nobis jam essent scripta, in *Nova  
Bibliorum versione Marburgensi Germanica*, (*My-  
stische und Profetische Bibel*), quæ prodiit 1712,  
hunc locum hac ratione translatum: *Und man be-  
stellete zwar bey den Gottlosen sein Grab* (wie die  
Juden thäten); *aber bey dem Reichen seine Höhen*  
(im Felsen Josephs von Arimathia) cet. Et sic tandem  
contrahere possumus vela.

## §. XXV.

Nihil vero nos egisse nobis ipsis essemus vi-<sup>Epilogus.</sup>  
furi, genuinum luculentí hujus de Christi sepultu-  
ra vaticinii excutiendo sensum; nisi simul memo-  
res istius Paulini (s) essemus: *Sumus ergo una  
cum eo post baptismum ad mortem sepulti: ut quem-  
admodum Christus ex mortuis in paterna gloria re-  
sur-*

(s) Rom. VI, 4.

surrexit, sic & nos in vitæ novitate gradiamur.  
Tu, sanctissime Jesu, suppicio tuo nostra ex-  
piasti peccata. Tua sepultura, in sepulcrum ea  
detrusisti; ex quo ea, te vetante, depromere  
nobis fas non est. Tuam nobis largire sanctita-  
tem, ut detestandum hoc cadaver, vitæ dedecus  
primum, angue & peste pejus, fugiamus. Sic  
ad spiritualem tecum reviviscemus vitam; per ipsam  
mortem non enecandi, ad æterna gaudia  
resurrecturi.



VIRO NOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO  
CHRISTOPHORO WILHELMO KAYSERO

BRVN\$VICENSI

S. S. THEOL. CVLTORI DIGNISSIMO

S. P. D.

IOANNES ERNESTVS SCHVBERT. D.


DES. ABBAS COENOBII AD LAP. S. MICH.

**Q**uamvis non indigeas laudibus nostris, DOCTISSIME KAYSERE, id tamen amori & officio dabis, ut Te plausibus & votis prosequar, præclarum eruditionis TVAE specimen editurum, quam in diversis Academiis laudabili & haud vulgari prorsus diligentia non minus quam scientias tractandi ratione Tibi comparasti. Eam quippe viam mox in limine studiorum academicorum prudenter ingressus es, qua ad metam Tibi omnibusque sanctioris disciplinæ cultoribus præfixam, h. e. ad distinctam solidamque mysteriorum divinitus in salutem nobis traditorum cognitionem omnium certissime pervenitur. Postquam animus sobriæ philosophiæ principiis probe imbutus, & ad altiora recte capienda rite præparatus erat, totus in eo fuisti, ut linguas sanctas, sine quarum notitia religionis cognitio dubia semper manet atque incerta, familiares TIBI redderes. His duobus fulcris, philosophia nimirum & philologia sacra, innixus ipsum doctrinæ salutaris systema strenue aggressus es, inque ea addiscenda tantos fecisti progressus, ut, quid valeas & in genuina sacri codicis locorumque difficultiorum interpretatione, & in dogmatum sacrorum, maxime controversorum, discussione, jam scripto publico doctissime elaborato ostendas. Hæc TVA eruditio, cuius jam publicum prostat testimonium, tanto majoris pretii esse nibi videtur, quo excellentior est virtus, quæ TE ornat, &

F

quo

quo rarior modestia , qua TE minus scire prudenter simulas , quam TE scire norunt omnes . Hæc & multa alia , quæ jam in laudem TVAM differere possem , certe efficiunt , ut nemo TE videat , quin TE simul diligit & magnificat . Ecce ! Tot mibi sunt causæ , TIBI applaudi , cum jam in arenam descendis , Comite & Præside S. V. BERTLINGIO , eruditissimam meditationem defensurus . Totque mibi sunt causæ , & patriæ TVAE gratulandi , & TIBI quævis fausta apprecandi . Faxit immortale numen , ut labores TVI , quibus TE hactenus ad ministerium verbi ejus bene præparasti , largissima benedictione compensentur , illisque præmia virtute TVA digna nunquam non respondeant . Dab. in Acad. Iulia Carolina d. XVIII. Mart. A. R. S. CIC 1500 XXXIX.



## CLARISSIMO KAYSERO

S. P. D.

ANDR. GEORG. WAEHNER.

Mirum in modum Tua , præstantissime Kayser , nunquam non delectatus fui , non solum industria , verum etiam litteras tractandi ratione . Sanctiori doctrinæ , quam theologiam appellamus , operam dare , cum ad GEORGIAM nostram AVGVSTAM accederes , decreveras . Neque tamen subsellia premebas primo anno theologorum , sed philosophorum & philologorum . Recete id quidem ; imo rectissime . Sunt enim hi duo theologiæ oculi . Quorum alterutro qui destituitur , cocles in theologia est ; scientiis his non nisi leviter tintitus , strabo , myops , & nyctalops ; superciliosus utriusque contemtor , talpa cæcior . Ejusmodi monstra evadunt theologia ,

gica, qui, ad academias delati, sacris illis castris pedes, de-  
bite non præparati, fine mora inferre non dubitant. Quas  
audiunt theologorum theses, memorie firmiter imprimunt;  
ut psittaci fiant, theologicæ imitatores linguae. Tanta enim  
bonorum horum virorum fiducia est, ut, quæ ipsi nequeant,  
doctores suos probare posse nulli dubitent. Ita Schemaia di-  
xit; ita Abhtalion! Sed hæc quoque via multis nimis lon-  
gum adhuc habet anfractum. Quare brevissima ad homileti-  
ca decurrere subito festinant; quo primo statim semestri de-  
nihilo multa fari & garrire discant. Officio enim functum  
putant oratorem sacrum, quem per dimidiæ horæ spatum  
quidvis pro quovis, dummodo sesquipedalibus verbis id sit fa-  
ctum, recitare audieris. O tempora! O mores! Tu vero,  
Clarissime Kayser, non ad faciendum ex ea aliquando quæ-  
stum, quod in nulla litterarum parte tam impie quam in hac  
fit, sed ut de rebus ad æternam felicitatem pertinentibus &  
ipse convincereris, & alios convincere posses, discere voluisti  
theologiam. Quod ut fieri posset; philologica & philosophi-  
ca, quibus Te carere nullo modo posse prævidebas, præmisisti  
propædevmata. Ne quid tamen dissimulem; meum enim ipsius  
errorem dissimulare quid juvat? Cum Te primitus in præle-  
ctionibus meis viderem tironem, ordine quodammodo inverso,  
ut a multis fit, res tuas tractare mihi videbaris. Neglectis  
enim iis, quibus prima sermonis Ebræi rudimenta tradeban-  
tur, ad altiora hoc in campo statim contendebas. Mox vero  
intellexi, non Te, sed me errasse; cum audirem ex Celeber-  
rimi BLANCKII Te venire disciplina. O! utinam BLAN-  
CKIOS omnia nostra haberent lycea! Nullos enim hic vir-  
nobis mittit, nisi æque Ebraicæ atque ceterarum eruditarum  
linguarum, ut de ceteris rebus nihil jam dicam, peritissi-  
mos; nullos, qui ignorant, quid ad exegesin sacram & cor-  
datum theologum requiratur. Horumque Tu primus nos sa-  
lutasti. Ad ipsam justo tempore perrexisti theologiam: ita


tamen, ut memor semper maneres, nobilissimam illius partem, qua cetera omnia tanquam firma basi nituntur, esse exegesin sacram; adeoque philologicis laboribus defunctum Te esse minime putares. Quin cum ex FRIDERICIANA secundo ad nos redires, neque tum in deliciis Tibi esse desierunt. A nobis tandem IVLIA CAROLINA Te sibi vindicavit; in qua, ut patria academia, publicum doctrinæ tuæ specimen ederes. Argumentum dissertationis theologo & philologo dignum elegisti. Et quantum quidem ex iis, quæ perscrispisti, intelligere potui, nulla in re me habebis dissentientem. Ea, quæ ex me quæris, tam erudite & solide perscrispisti, ut melius quid rescribere nequeam. Per placet, quod de multiplici, quo Verborum Ebræorum formæ gaudent, significatu scribis. Quæ nunc per Indicativum, nunc per Conjunctionem, nunc per Optativum, nunc per Simplices, nunc per periphrasticas forinas, in linguis ea formarum diversitate gaudentibus, prout connexio fert, omnino sunt reddendæ. Somnium quoque grammaticum est & conversivum; quod a dormituriensibus Judæis stertentes acceperunt Christiani. Non & temporis significatum invertit; sed, cum singula tempora eadem forma significare possit, quodnam significet, sermonis tenor definit. Quæ si tempestive considerarentur; multi nodi Gordii facili negotio solvi possent. Vnicum jam in medium proferre placet exemplum. Verba Exod. XXXIII, 19.

**וְחִנֵּתִי אֶת־אֶשֶׁר אָחֹן וְרַחֲמֵתִי אֶת־אֶשֶׁר**  
num cum SEB. SCHMIDIO reddemus: Miserebor, cuius miserebor; & miserabor, quem miserabor? Si ita; vitio ne vertamus SEB. CASTALIONI, qui hunc verborum vult esse sensum: Qui gratiam facio, & misericordiam tribuo, cuicunque mihi collibitum sit. Tantum enim unum valet, quantum alterum. Arma illis suppeditamus ipsi, qui de æterno & absoluto quodam dei decreto his similibusque contra nos abutuntur. Hunc vero migrabimus errorem, si red-

da-

damus : Benevolus ero, cui benevolus futurus eram; & miserebor, cuius miserturus eram. Quænam vero periphrastice hujus formæ vis est ? Profecto magna. Nam, cui benevolus futurus eram, idem valet quod, cui me benevolum futurum promisi. Et, cuius miserturus eram, idem quod, cuius me miserturum promisi. Quorumnam vero se miserturum promiserat ? Qui probi siue observantes essent futuri. Favet explicationi huic totus colloquii dei cum Mose tenor ? Deprecabatur Moses deum, ne gentem Israëliticam, quæ fabricando deaurato vitulo gravissime peccaverat, perderet. Certiore eum faciebat deus, se genti quidem in præsenti parcere velle. De futuro autem subjungebat, hisce verbis, de quibus jam dispuo, se illis tantummodo, qui morigeri dein sint futuri, bene esse facturum. Illos, qui iteratis peccatis se sint offensuri, benevolentiae suæ & misericordiæ participes futuros negat. Eodem prorsus sensu Paulus Rom. IX, 15. ad hæc Dei apud Mosen obvia verba provocat. Ismaëlis & Esavi exemplis, docuerat vir divinus, non omnes, qui ab Abraham genus ducant, deo placere. Addiderat, Esavum nondum natum inferiori jam loco a deo fuisse habitum. Offendere hoc poterat lectorem, quod embryonum, qui nihil adhuc vel boni vel mali fecerant, alterum deus alteri postposuerit. Ne igitur falso suspicaremur, deum secundum illud injustorum tyrannorum, sic volo, sic jubeo, vel, ita placet, agere ; sed ut, sanctissimas decreti sui habere rationes, convinceremur : ad dei apud Mosen verba, quorum genuinum sensum modo dedi, provocat. Quo ipso, brevitate disputatoribus Ebræis consueta, significat, deum ita, ut fecit, de Jacobo & Esavo nondum natis decreturum non fuisse, nisi prævidisset, illum in iis futurum, quorum se miserturum promisebit, id est, bonum ; hunc vero in iis, in quas misericordia divina cadere non possit, id est, malum. Tibi sufficere hæc pos sunt ; qui nosti, quomodo totam illam Pauli disputationem ex-

plicare soleam. Vides quoque exemplo comprobata, quæ de vario formarum Verborum significatu perscripsisti. Superfluum erat, de his meum nunc demum audire velle judicium, quæ abunde ipse diu nosti. Nihil igitur superest, nisi ut eruditum Tibi gratulor certamen tuum academicum. Sed & hoc gratulor, quod Tibi primo sub Viri Summe Reverendi D. BERTLINGII, quem quanti nostra academia nunquam non fecerit nosti, & quem in maximis Juliæ Carolinæ orbisque theologici luminibus brevi futurum prævidemus, moderamine theologicam cathedram concendere continget. Summum venerorum numen, ut jubeat, mei KAYSERI virtutes & doctrinam magno ecclesiæ suæ per multos annos esse emolumento. Scrib. in acad. Georgia Augusta, d. VI. Mart. CIO CCXLIX.



VIRO  
NOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO  
CHRISTOPHORO GVILIELMO KAYZERO  
S. S. THEOL. CVLTORI DILIGENTISSIMO  
S. P. D.  
ERNESTVS AVGVSTVS BERTLINGIVS, D.

Arduum omnino negotium, amice optime, suscepisti, dum in explicationem loci vexatissimi Ies. LIII, v. 9. ingenii vires intenderis. Sive enim divitem illum & improbos pro synonymis habuerint interpres, sive diversa vocabulis his significari suboleverint, semper tamen aliquid ipsis relinquì visum est, quod tollere non potuerint. S. HIERONYMVS, duplarem hujus dicti dedit significatum, quum unum sufficere non existimaret. (a) Et celeber-

(a) In h. l. Tom. V. Opp. p. m. 196. ubi vel ex gentilibus & Iudeis

berrimus ille Lipsiensium Theologus, B. SCHMVCKIVS,  
quum in Praelet. in Ies. omnia se explicare posse visus est,  
tamen hunc locum plane intactum reliquit explicatu difficult-  
limum. Maetē ergo, eruditione TVA, OPTIME KAY-  
SERE, tam theologica quam philologica & philosophica,  
discipulum WAEHNERO & BLANCKIO dignum TE  
præstitisti. Vnicum hoc scilicet sufficere existimans opti-  
mus WAEHNERVS, communis noster Fautor plane sin-  
gularis, hoc encomio TE mihi commendavit, TE ex  
schola BLANCKIANA prodiisse. Addo, TE dein ad  
scholas WAEHNERIANAS transiisse, in iisque diligentem  
& bonum TE semper præstitisse. Nam ab ipso WAEH-  
NERO laudibus ornatus, cuius laudes sunt rarissimæ, non  
blandientes indignis, sed tantum dignissimos, qui singu-  
laris VIRI candor est, prosequentes, quanta sunt, quæ  
ingenium & indoles TVA nos sperare jubent? Sane in  
hac dissertatione tam claram lucem dicto obscurissimo af-  
fundisti, ut ejus sensum in posterum omnibus facillime  
perspectum fore, nullus dubitem. Nisi dissertatio jam in  
plagulas excrevisset, TE etiam doctrinæ de sepultura Chri-  
sti tractationem dogmaticam addidisse, optavi. Quum e-  
nim Christus missus fuerit in mundum, ut homines redi-  
meret in complemento temporis Gal. IV, 4. 5. omnium a-  
ctionum Salvatoris nostri ad hoc OPVS REDEMPTIONIS  
aliqua debet esse relatio. S. V. SCHVBERTVS exopta-  
tissimus Iuliæ Carolinæ nostræ Theologus, caput de Chri-  
sto duobus novis capitibus de decreto redemptionis, & o-  
pere redemptionis auxit, quia pupillam hanc omnis reli-  
gionis christianæ solita methodo satis fuse pertractari non  
posse

deis Christum ecclesiam sibi congregasse, vel Iudeos propter  
Christum rejectum Romanis traditos fuisse hic indicari existi-  
mat.

posse prudentissime judicaverat. Eadem ratione salutare fore existimarem, si de omnium vitæ articulorum Christi (præsertim mortis, sepulturæ & resurrectionis) salutari efficacia in satisfactione quis scriberet. In Dissert. inaug. de resurrectione Christi hujus tractationis jam feci periculum. CALVINVS laudabili ratione in Instit. Christ. Relig. numquam satis celebrandis, etiam buc digitum intendit, sed de sepultura nihil, nisi quæ de nostrorum peccatorum cum Christo sepultura S. Script. habet, attulit, quum tamen significantius de sepultura testimonium non occurrat, quam in nostro dicto, quod explicasti. Dicit propheta, Christum sepultum esse hac ratione על הַמִּשְׁבֵּת וְלֹא מִרְמָה בְּפִיו, eo quod (sic recte transtulisti, nam significatus quamvis repugnat Ebraico עַל), injuriam non fecerat (rebellis in Imp. Rom. non fuerat), nec falsiloquium in ore ejus fuerat (non falso prophetam se venderat, sed factis eum, quem se nominavit, esse probarat). Sane memoratu dignissima sunt verba PAVLI: - ὅτι Χριστὸς ἀπέθανεν ὑπὲρ τῶν ἀμαρτιῶν κατὰ τὰς γεαφάς· καὶ ὅτι ἐτάφη, καὶ ὅτι ἐγήγερται τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ κατὰ τὰς γεαφάς, I Cor. XV, 3. 4. Quod Christus mortuus sit pro peccatis nostris SECUNDVM SCRIPTVRAM, & quod sepultus & suscitatus sit tertio die SECUNDVM SCRIPTVRAM. Omnia prædicta sunt, sed quæ prædicta sunt, fuerunt omnia per scopum divinum requisita. Huc etiam pertinet in sepultura Domini, quod a) crura optimi Salvatoris non sint fracta, & b) non inhonestam sepulturam acceperit. Non pati debuit 1) plus, quam requisivit officium mediatoris. Vinci debuit mors, non vincere. Ergo non cadere debuit in ipsum pæna civilis rebellibus & seductoribus destinata, quum talis non fuerit, pæna, quæ signum fuit victoriæ mortis in peccatorem pro propriis peccatis

catis expiationem solventem, cuius & memoria debet esse detestabilis. 2) Fuit hæc maledictio Domini Ies. XIV. in regem Babylonie : Omnes reges gentium quotquot sunt occubuerunt gloriose quisque domi suæ. Tu vero abjiciendus es e SEPVLCR O tuo, ut SVRCVLVS abominandus - - non prædicabitur in sæculum SEMEN maleficorum. Sed quid dicit de Messia ? SVRCVLVM tenerum quidem nominat, sed tamen servum Domini, qui ex molestiis exemptus hoc habebit prædicatum : Videbit SEMEN, prolongabit dies & delectatio Iehovæ per eum prosperabitur. Ille ergo, qui inhabitatione verbi Dei corruptionis evasit injurias (b), & quem a morte teneri propter naturæ integritatem & unionem personalem fuit impossibile (c), non potuit particeps fieri illius ludibrii, quod universalem DEI & hominum abjectionem & contemptum testari debuit ob crimina in Ecclesiam & Rempublicam atrocissima. 3) Egregie eadem via, qua incessit S. V. SCHVBERTVS in Progr. diss. meæ inaug. præmisso, posset demonstrari innocentia Christi omnino a Pilato & Senatoribus agnita, & per consequens sanctitas vitæ & doctrinarum veritas, ex sepultura hac honorifica & gloria. Sed plura sunt, quæ adjeci, AMICE OPTIME, quam adjicere debui. TE jam emenso omni studiorum academicorum curriculo tamquam futurum operarium in vinea Domini adspicio, sed non sine votis, non sine votis ardentibus.

G

(b) ATHANASIVS de incarn. verbi Lib. II. Opp. p. m. 253. b.

Plura habet, quæ hic ansam meditandi suppeditare possent, quæ sic ipse in summam contrahit : Verbi in illud immoratione non jam juxta naturam corporum solvi in putredinem poterat, sed inhabitatione verbi Dei corruptionis evasit injurias, contigitque utrumque in eodem mirabiliter fieri, ut scilicet OMNIVM MORS in Domini CORPORE acciperet FINEM, morsque & corruptio per verbi præsentiam effugaretur.

(c) Actor. II, 24. 27. coll. Pf. XVI, 10.

bus. Sæculum enim, in quo vivimus, empæctarum & religionis hostium agmina nobis ostendit, catervatim arcem Domini invadentium. Sane, si quo alio, certe hoc tempore necessum est, ut attendatur, admonitio Paullina: ἐνδυναμοῦ ἐν τῇ χάριτι τῇ ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ. Σὺ δὲ ναυπάθησον, ὡς καλὸς σεαυτόντης Ἰησοῦ Χριστοῦ. 2. Tim. II. RestVAS, MI KAYSERE, age fortiter. Dominus sit tecum, & concedet tibi Spiritum sanctum, qui inducit in omnes veritates. Reliqua tua fata omnia fausta feliciter esse jubeat summus cœli terræque Creator. Me, ut huc usque fecisti, amare ne desinas. Scrib. in Acad. Iulia Carolina d. XIX. Mart. MDCCXLIX.

VIRO PRAENOBILISSIMO AC DOCTISSIMO,  
AMICO CONIVNCTISSIMO,

D O M I N O

CHRISTOPHORO GVILIELMO KAYSERO

S. P. D.


MATTHIAS LUDOVICVS MAIERVS,

HAMBVRGENSIS,

S. S. TH. C. ET OPPONENS.

Triennium fere est, cum primum mibi in Academia Frideriana innotuisti. Magni semper ex eo tempore non solum egregias ingenii Tui dotes, sed morum quoque probitatem, cum iis conjunctam, quæ raro conjungi solet, in Te feci & adhuc facio. Rectam præterea in studiis tractandis tenuisti viam; cumque divinæ sapientiæ studio præcipue Te consecraveris, humanæ tamen &c. culturam neutiquam neglexisti, sed in ea ita versatus es, ut non contemnendos exinde perceperis fructus. Testatur hac de re quam clarissime præsens dissertatio, quam sub præsidio Viri summe reverendi atque excellentissimi D. BERTLINGII nunc eruditorum submittis examini. Ingenue fateor, Tu materiam elegisti abstru-

strusam & admodum difficilem, quæ nostra ætate multorum  
sacrorum interpretum ingenia exercuit: Sed Tu in tracta-  
tione ista ita omnia solide enodasti, & explicuisti, ut præ  
multis aliis rem acutetigisse videaris. Quæ cum ita sint,  
non dubito, quin singularibus Tuis in studio exegético profe-  
ctibus Mæcenatum benevolentiam Tibi conciliaturus, & tan-  
dem exinde suo tempore uberrimos percepturus sis fructus.  
Ego tibi hoc nomine non tantum gratulor, sed Deum quoque  
præpotentem supplex veneror, ut in omnibus, quæcunque susce-  
peris, prosperum Tibi largiri velit successum, ut, cum nunc  
feliciter finem academicis studiis Tuis imponas, ipsemet fru-  
ctus egregios laboris exantlati percipias, & ut alii percipi-  
ant, possis efficere. Quod restat, nihil magis in votis habeo,  
quam ut ea mihi obtingat felicitas, ut intimam amicitiam  
istam, qua hucusque sincere nos invicem amplexi sumus tan-  
quam fratres germani, imposterum quoque continuare possi-  
mus, neque ulla umquam recurrat occasio, qua ea dissolvi pos-  
sit. Largiatur supremum numen his terris hanc felicitatem,  
ut **Serenissimus CAROLVS**, qui Musas nostras ad meliorem  
fortunam evehere potest, de pluribus, in Ducatu suo natis &  
educatis, talem spem concipere possit, quam Tu eruditione &  
inculpatis moribus ostendis. Vale! Scribebam in Academia  
Iulia Carolina d. XXII. Martii, CIC 1558.



PRAESTANTISSIMO  
PRAESENTIS DISSERTATIONIS  
AVCTORI ET DEFENDENTI  
CHRISTIANO GVILIELMO KAYSERO  
AMICO SVO CONIVNCTISSIMO

S. D. P.

IOANNES LUDOVICVS PAPEN. Opp.

Quod olim a facundissimo illo Romanorum Oratore M. T.  
**Cicerone**, sapienter admodum pronunciatum est: iis-  
G 2 dem


dem studiis uti, magnum esse amicitiae vinculum; id quidem ad nos AMICISSIME KAYSERE omnino quadrat; sed longe plures adsunt rationes, quæ mutuum inter nos amorem & produxerunt & confirmarunt. Lætus adhuc illius recordor temporis, quo Celeberrimi, Brunovicensium Gymnasiorum pariter ac Illustris Collegii Carolini Doctores SCHRODITIVS & BLANCKIVS, eruditionis & artium liberalium stamina prima, utrique nostrum instillabant. Ita res TVAS OPTIME AMICE tunc agebas, ut & præceptores & Comilitones indefessam TVAM diligentiam admirati, præclara quævis TIBI augurabantur.

Et ex hoc egregio fonte amicitia nostra primordia sua sumvit, ob virtutes TVAS, TE amare cœpi. Ac quid hoc mirum est? Neque enim solum industria TVA delectabar, verum accedebat insuper summa morum suavitas atque humana, qua me TIBI ita devinxisti, ut ingratus omnino fuisssem, nisi TE amare statuisssem. Atque hoc amicitiae vinculum tam arctum tamque sanctum semper aestimavi, ut, licet in diversis Academiis essemus, tamen religioni mihi duxerim, vel minimum committere, quo illud ullo modo violari quin immo dissolvi facile possit. Accedit anxium illud desiderium TIBI AMICORVM SVAVISSIME & in hoc ILLVSTRI MVSARVM EMPORIO, quanti TE faciam declarandi. Nec votis defuit eventus. Contigit adventus, ades, eundem TE reperio, qualem in REGIAM GEORGIAM AVGVSTAM ACADEMIAM discedentem, amisi.

Salve igitur MI KAYSERE! O si per rationes TVAS fieri liceret, ut longius apud nos, quam decrevisti, morari possis. Sed quod aliter esse nequit, id lubenter ferendum erit. Antequam autem discessum paras, animus TIBI est, quid GOETTINGAE HALAEQVE profeceris, publico specimine PATRONIS & MAECENATIBVS demonstrandi. Certaminis Moderatorem elegisti VIRVM SVMME VENERABI-

LEM

LEM ERNESTVM AVGVSTVM BERTLINGI-  
VM, s. s. THEOLOGIAE IN HAC ACADEMIA DO-  
CTOREM ET PROFESSOREM CELEBERRIMVM, FAV-  
TOFEM NOSTRVM COMMVNEM. Obtulisti ei Differ-  
tationem proprio marte elaboratam, cuius argumentum est: Se-  
pultura Christi. Ascende itaque Cathedram Theologicam  
omnibus bonis & præsertim amicis applaudentibus. Præsta  
te talem, qualem te quisque futurum judicavit, id est, stre-  
nuum veritatis christianæ defensorem. Sic Ecclesiæ nostræ  
intelligere licet, quid de te sperare aliquando possit. Quod  
reliquum est me & absentem, ut præsens facis, amare perge.  
Scrib. in Acad. Jul. Carol. d. XXII. Martii CIO CCCXLIX.



V I R O  
NOBILISSIMO, ORNATISSIMO ATQVE DOCTISSIMO  
CHRISTOPHORO GVILIELMO KAYSER  
AMICO ET FAMILIARI SVO DVLCISSIMO  
CARISSIMO QVE  
S. P. D.  
IOHANN. LVDOLFVS QVENTIN  
HVM. LITT. ET S. S. THEOL. CVLT.  
OPP.

**A**dmodum grata mihi semper & jucunda est amicitiae, de qua  
insigniter mihi gratulor, & familiaritatis, quæ mihi  
Tecum, Vir Nobilissime, intercedit, memoria & recorda-  
tio. Nec ea solum efficit, ut Te & præsentem & mox ab-  
sentem, quem diem tristem jamjam imminentem prævideo &  
luctuosum, amem, Tuamque felicitatem meam esse reputem;  
sed me etiam movet impellitque adeo, ut Te, Mi Dulcissime,

magni facere, mei esse officii existimem. Lætum fane, felicem & faustum prædico diem, quo me amicorum immo mox familiarium numero adscripsisti; ast enim vero multo lactiorum, multo jucundiorum, multo denique feliciorem fortunatoremque illum, qui hodie illuxit, habeo, quo Tibi publice meum in Te amorem atque affectum saltim significare, ne dicam declarare, & non solum Te ad gratam & amicitiae & familiaritatis continuationem quasi provocare, sed etiam Feliciter acclamare possim. Faustus ergo Tibi sit atque auspicatus solemnis hodiernus dies, quo dissertationem Marte Tuō inventam, elaboratam & pulchre concinnatam atque dispositam defendit, & præceptorum, quam de Te movisti expectationem, ex omni parte adimplere elaboras. Dilaudandum est maxime Tuum a Te sapienter suscepsum consilium, dum ipse met publicum Tui periculum facere, neque prius de scena Academica decidere decrevisti. Hunc in finem autem a Te conscripta Dissertatio eruditissima satis luculentum eximiae Tuę eruditionis, quae minime humi repit, ceterarumque animi dotum continet documentum. Ostendit illa magnum ingenii acumen & acutissimum iudicium prætereaque penitiorem linguae hebrææ notitiam & quandam quasi familiaritatem indefessa diligentia atque industria acquisitam: ac si quis illam diligentius perlegerit, deprehendet & fatebitur mecum, omnia in illa tam accurate & æquibetwæ philosophica sub examen revocata est, ut illi nihil fere objici possit, quod veri saltem aliquam babeat specimen. Ad ceteras virtutes Tuas & egregias animi dotes, qua Te benigne beavit Deus, modestiam pietatem probitatemque quod attinet, non diffiteor, mearum quoque esse partium, hac solenni occasione & suavissima quedam laudis Tuę commemorantia verba proferre: Vnde vero initium capiam & quibus verbis illas omnes, quibus splendes, virtutes celebrare & laudibus meis cohonestare non video. Etsi etiam mihi qualiscunque ingenii mei vena mihi satis idonea verba suppeditaret, verendum, ne Tuę

mo-

modestiae, quæ Te singularis exornat, molestia esse possent. Quod ergo alias iure Tibi debeo, eo in præsenti supersedeo & me potius ad vota, quæ nuncupare animus est, converto. Gratulor Tibi ergo primitias laborum Tuorum Academicorum bene & concinne elaboratas, Gratulor insignes in scientiis progressus; Gratulor Tuum Tibi studium, ex quo unice sacrarum veritatum certitudinem haurire ac derivari posse haud falso existimamus. Gratulor Patriæ Tuæ longe carissimæ, quæ uberrimos industriae Tuæ jam jam expecta immo prævidet fructus. Gratulor & ultimo loco etiam mihi de tali amico, qualem Te semper inveni, de quo multa mihi promittere tempora subsecutura videntur. Conservet Te Deus T. O. M. diu salvum atque in columem, & Te aliquando in ecclesiæ & reipublicæ incrementum ac emolumennum vivere posse benigne concedat! Ceterum amicitiae fædus, quod mecum iniisti, sanctum & sempiternum sit, summo pere abs Te peto atque contendō. Vale, o Candidissime Kaysere, & me amare mibi facere perge. Dab. Helinstadii d. XXII. Martii ICI 10 CCXLIX.

Greund, den ich längst gekannt, aus Kenntniß längst verehrt,  
Hör Deines Freundes Lob, das Deinem Fleiß gehört!  
Die zartste Jugend wies in Dir den ächtsten Weisen;  
Den Größsten zwang Dein Thun, Dich jung schon groß zu preisen.  
Du forschtest ungestört; Dein Fleiß ergötzte mich;  
Dein Lehrer selbst wies den, der lernen sollt', auf Dich;  
Du schwungest Dich schon früh zur ächten Weisheitsspitze,  
Und eilstest, reif am Geist, zu manchem Musensitze.  
Dass Du Dich groß gelernt, zeigt ixt nicht mein Beweis;  
Du selber führest ihn; doch Du nicht, nur Dein Fleiß.  
Auch heute zeigst Du uns davon die stärksten Proben.  
Ich wünsch, was Du verdienst. Und dieß weis't Fremder loben.

Mit diesen wenigen Zeilen bewies dem Herrn Verfasser  
seine aufrichtige Freundschaft

J. C. Richelmann,  
Prediger bey der Gemeine zu Bortfeld.

## Sonnet.

W

Wein Freund, ich seh in Dir der Freundschaft ewgen Grund,  
Den meine Kindheit pries, wie jetzt ihn Einsicht schäcket;  
Und so wird Treu zur Pflicht, die Dir dies Denkmal setzet.

Verschmähst Du es? O nein! Du denkst an unsern Bund.

Auf! zeig uns denn gelehrt Dein anvertrautes Pfund,  
Das mich schon längst gereizt und heut Elmir' ergöket,  
Um das umsonst so Zeit, als Neid die Zähne wetzet;

Dir folgt ein sichres Lob. Ich machs der Nachwelt kund.

Dir, meinem Rayser, wünscht ein Freund mein Prophezein:  
Dein edler Fleiß wird uns mehr reife Früchte zeigen,  
Und, wenn wir kaum gelobt, dies Lob schon übersteigen,

Bis daß Verdienste Dich dem Priesterorden weihen.

Wie freudig wird man dann sich Deiner Lehr vertrauen?  
Ach möchtest Du doch erst auch meine Seel erbauen!

Dieses schrieb dem Herrn Verfasser dieser gelehrtten  
Arbeit aus wahrer Freundschaft

Anthon Philipp Hogreven, aus Braunschweig,  
B. R. B.

Quem sanctæ pietatis amor, veracia dicta,  
**Q** Et virtus præstans ad magna negotia ducunt,  
Hunc nunquam satis extollunt præconia laudum.  
Non igitur mirum, quod, AMICE, TVVM celebrare  
Nomen vix ausim. Specimen, quod nobilis artis  
Divulgas, omnes hilari de pectore plausu  
Non fato comitantur. Ego quoque gaudia testor,  
Quæ mihi conditio felix rerumque TVARVM  
Successus florens peperit. Verum hoc mihi semper,  
Quo prius haud aliquid sive est antiquius umquam,  
Officium incumbit, verbis rogantibus alnum  
Implorare Deum, pro TEQUE TVAQUE salute.  
Si sumimum numen facili hæc vota excipit aure,  
Integritate boni ac egomet lætabimur omnes.

Elmipoli,  
d. XXII. m. Martii  
CIC 12 CCXIX.

I. C. HARBORD,  
Brunsvicensis  
Sanct. discipl. Cult.



Coll. Ant. A. 148, 39